



0cm
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20





11462











Rosp. n^o 11462.

COLLEGIUM LOGICUM

Leidense Gallo-Belgicum

INSTITUTIONES

E T

DISPUTATIONES LOGICAS COMPLECTENS.

Authore

JACOBO GAILLARDO,

Ecclesiae Leidensis Gallo-Belgicæ Pastore, Theolo-
giæ & Philosophiæ Doctore, & ejusdem Collegii
Gallo-Belgici Regente.



LUGDUNI BATAVORUM

Apud LOTHUM de HAES,
Collegii Gallo-Belgici Typographum.

Anno c^{lo} I^c LXXI.

COLLEGIUM LOCICUM

BRUXELLES ET BRUGES

INSTITUTIONES

ET

DISPUTATIONES LOGICAS

COMPLECTENTES.

ANNUITATIBVS

IVCQBO GAILLARDI

Ecclésieis Peccatiis Gallo-Belgicis Parvo, Thesoro.

Glossae Philologicae Dogmata, & alijqueis Collationibus.

Gallo-Belgicis Recensio.



LUGDUNI BATAVORUM

Abra LOTHINUS de HAESE

Collegio Gallo-Belgico Thesauraria.

Anno 1710.

Illusterrimis, Nobilissimis, & Amplissimis
ACADEMIÆ LUGDUNO-BATAVÆ
Curatoribus.

- D. FREDERICO van DORP, Mosædami Domino &c. Equestris
In Hollandia Ordinis Assessori, Rhenolandia Præposito, & Aggerum
Præfecto, ad Serenissimos Poloniæ & Sueciæ Reges Exlegato.
D. JOHANNI van THILT, J. C. Urbis Harlemensis Consuli,
Supremæ Aggerum Rhenolandia Præfecturæ Assessori.
D. CORNELIO DE WITH, Ruardo, & Supremo Aggerum Ter-
ritorii Puttensis Præfecto, Baliuo Beyerlandia, Urbis Dordrechtae
Viro Consulari, inque Præpotentum Hollandia & West-Frisia Ordinum
Confessu Assessori Ordinario.

E ORUMQUE COLLEGIS,
Magnificis Reipublicæ Leidensis Consulibus,

- D. JOHANNI MEERMAN, J. C. Ad Serenissimum Britannia Regem Exlegato.
D. PAULO SWANENBURGH, J. C.
D. JACOBUS MAES.
D. DANIELI van ALPHEN, D. A. N. F.

UT ET

Amplissimo, Consultissimoque Viro,

- D. PETRO BURGERS DICIO, J. C. Reip. Leidensis Syndico,
& Nobiliss. D. Curatoribus à Secretis.

NEC NON

Generosis & Nobilibus D. Macenatibus Collegii Haletiani,

- D. de MAMUCHET, D. de Houdringhe & Grunnerie.
D. PETRO VAN PANHUYSEN, Centurioni.
D. JOHANNI VAN PANHUYSEN, &c.
D. MARCO du TOUR, Senatori Amplissimo in suprema Brabantia
& ditionis Trans Mosanæ Curia.
D. de MALEPART, Domino de Craystein.

Primum hunc ingenii nostri fœtum Philosophicum illa-
strissimo nomini vestro ut inscriberem, **A M P L I S S I M I**

P R O C E R E S, fecit, non ambitio, sed beneficiorum quæ in me contulisti publica recognitio: non animus eundi, ut moris est, in vestras laudes, quas vel ipsi parentes Eloquentiæ Demosthenes & Cicero pro meritis summis celebrare non sustinerent: sed observantiam nostram, & promptam ad obsequendum voluntatem testificandi: non divinis vestris occupationibus interveniendi, quod & in vos scelus edere, & in Rempublicam peccare est, cum eo loco positi sitis, ut nullum tempus excipere valeatis, quod gravioribus negotiis surreptum non videatur: sed mihi demandati Officii referendæ ad vos rationis, studium: Non demum operæ pretium, quod nullum adserit, quo se vobis commendet; sed operæ debitum, & singulare ac summum in vos studium meum. Concepta sole, fotaque favore vestro, nata demum in prædio vestro tenella isthæc fætura, vestra est. Itaque quod vestrum est potius reddimus, quam dedicamus. Exemplo agimus maximè veterum Philosophorum Aristotelis, qui libros de animalium generatione & partibus maximo Regum Alexandro inscripsit, quo fauore, & de sua magnificèntia Regia aureorum millia prope quingenta largitore, eos scripserat. Non brutas, suique necias animantes offerimus, sed hominem divinum & politicum animal, mentemque divinæ auræ particulam, cum legitimis ejus partibus, idæis, judiciis, ratiociniis & grassandi ad quamlibet scientiam methodo. En itaque **A M P L I S S I M I P R O C E R E S**, & **M A G N I F I C I M A C E N A T E S**, Logica mentis ritè judicantis & ratiocinantis scientia, quæ ad acerri-
m vestri judicii, solidissimique ratiocinii tribunal, non *ναὶ τὸ ἀκριβοδίκαιον*; sed *ναὶ τὴν ἐμέμενον* vestram benignissimam, sese judicandam sistit, in usum Collegii vestri. Quanti facienda sit istæc rationis ritè judicantis scientia, ut immertiò adducta in contemptum hoc seculo videatur, non sunt necii, qui rationem non in computandos numeros, & dimetendas lineas, vel quantitatuum proportiones pensandas à sapien-
tissimo

tissimo Numine indultam hominibus norunt : sed ut justi sint
in ferendis veris de rebus ipsis judiciis, & legitimis hinc conse-
cutionibus colligendis , in quibus , germana vitæ rationalis sa-
pientia & felicitas posita est. Si quid lucis eum in finem animæ
rationali , hæc opella nostrâ foeneravimus , id totum , quantu-
lumcunque est , Patri lumenum , & vobis orbis literatorum
splendidissimis luminaribus , acceptum referimus , quod æqui
bonique faciatis, obnixè de precamur. Valete **A M P L I S S I M I**
P R O C E R E S , & vivite felices Nestora totum. Id votis , ut
annuat toto capite vitæ Princeps & Pater æternitatis, qui suos
immortalitatis candidatos unus æternū vivificat , Deum
supplex veneratur ,

Illustriſimi, Nobiliſimi & Ampliſimi Nominis vestri,

Observantifſimus cultor,

JACOBUS GAILLARDUS.

Dabam Lugduni-Batav.

Nonis Febru. cīc LXXI.

I N^o

INSTITUTIONUM LOGICARUM

Compendiosa περιοχὴ quadripartita.

PRÆFATIO

De Essentia & partibus Logicæ.



Ogica sortitur appellationem δῆλος λόγος: Sed enim verò λόγος rationem & sermonem significat: sermo duplex omnino est internus alter; nempe cogitatio, seu idea vel imago rei expressa in mente, quæ rem ipsam menti repræsentat conspicendam, quam Scholastici conceptum formalem appellant; externus alter, hoc est vox articulata, cogitationem seu perceptam & mente nostra expressam rei imaginem aliis significans. Logica ab utroque λόγῳ appellationem habet, sed δῆλος λόγος quatenus rationem & sermonem internum significat, primum & per se, quippe rationem & cogitationem primum omnium ad verum dirigit, sed ex consequenti à sermone externo Logica audit.

Logica igitur *Essentia practica rationis operantis dirigendæ ad verum.* Genus Logicæ est *Scientia Practica.* Objectum materiale *ratio operans* hoc est versans circa objecta quotquot intelligi possunt & sub rationis perceptionem cadere: objectum formale, seu ratio considerandi est, *quatenus ad verum dirigi potest.* Logicæ autem ad rationem operantem & in verum dirigendam habitudo necessaria, ipsius est differentia essentialis & specifica, qua & constituitur & à cæteris intellectus habitibus distinguitur.

Ratio operans quadruplicem juxta alios operationem exerit nempe *conceptum, judicium, ratiocinium, & dispositionem.* Conceptum vocant simplicem mentis rei unius perceptionem, ut quum intellectu percipimus solem, lucem, ignem, aërem, aquam, arborem &c. ut illa mentis perceptione, expressam formemus in mente rerum illarum ideam seu imaginem, quæ rem ipsam externam menti repræsentat conspicendam. Judicium vocamus, mentis nostræ operationem, quæ ubi rerum modorumve varias, quibus informatur ideas considerat, unam alteri inesse seu convenire, judicat affirmando; vel non inesse & non convenire negando v. g. ubi mens mea informatur idea solis & idea lucis, idea arboris, & idea frugiferi, affirmo solem esse corpus lucidum & arborem esse frugiferam, vel nego esse frugiferam. Ratiocinium vocamus rationis operationem, qua ex præconceptis ambobus judiciis, tertium ex illis diversum elicimus & colligimus v. g. ubi judicavi summum bonum esse summopere amandum & Dei cognitionem cultumque juxta ipsius voluntatem esse summum bonum, judico & concludo Dei cognitionem & cultum esse summopere amandum. Dispositionem vocamus mentis humanæ operationem, qua varia judicia & ratiocinia ejusdem objecti, modo & methodo quam convenientissima distribuimus & collocamus, ut nobis aliisque evidentissime innotescat.

A

Sed

INSTITUTIONUM

Sed enim verò acrius intuenti in varias mentis humanæ operationes tergeminæ omnino videntur, nempe judicium, ratiocinium, & dispositio seu methodus. Quivis enim facile experitur numquam sibi contigisse vel contingere posse ut rem unam concipiatur possitve concipere puta solem vel arborem, quin rei illius conceptus seu idea, quam vi suæ rationis operantis exprimit in mente sua, clarum judicium sit, v. g. non possum concipere solem, quin concipiatur corpus lucidum, nec arborem quin concipiatur plantam ramosam, condipere vero plantam ramosam ubi concipio arborem, est judicare arborem esse plantam ramosam. Rationis itaque operatio triplex omnino est, nempe *judicium, ratiocinium, & dispositio*. Sed enim quippe rationis judicium circa rerum ideas minus vel magis compositas versari solet, v. g. ubi concipio arborem atque adeo plantam ramosam, judicium meum versatur circa ideam minus compositam, quam ubi concipio arborem frugiferam, & minus compositum, in habitudine ad magis compositum, utecumque simplicis rationem habet, operatio igitur rationis quæ circa ideam minus compositam occupatur conceptus seu judicium simplex discriminis ergo dici potest.

Hinc ad cognitionem objecti sui practica Logica quadripartita procedit, pro quadruplici rationis operatione & objecti idea. 1. Pars considerat rationem prout concipiatur objectum, cuius idea est simplex hoc est minus composita, ubi agitur de universalibus, praedicabilibus, particularibus, individuis, eorum seriebus seu prædicamentis aliisve affectionibus. 2. considerat rationem quatenus operatur ratiocinando ex ambobus judiciis ad tertium inde eliciendum & ferendum, ubi agitur de syllogismo ejusque speciebus. 3. rationem spectat quatenus operatur ad disponendum rei ideas minus magisve compositas, judicia, & ratiocinia ordine legitimo & opportuno ad faciendum claram & distinctam rei notitiam.

INSTITUTIONUM LOGICARUM PARS PRIMA.

De simplici mentis operatione, qua percipit objectum simplex exprimitque ipsius ideam in se.

CAPUT PRIMUM.

De natura & origine idearum, quas Scholastici notiones seu conceptus formales appellant.

Humana mens admirandi speculi ad instar rerum omnium ideas concipiit earumque ope rem quamlibet absentem considerat, sicut si bipræsentem & novit, unde Aristoteles lib. 3. de anima c. 10. ἡ ψυχὴ τὰ ὄντα πάντας εἰσὶ πάντα. anima quodammodo est omnia entia, nempe quia anima est ipsorum eidem, mens est formarum for-

ma. Idea autem imago rei in mente est, rem ipsam animæ ita repræsentans & exprimens si vera, clara & distincta fuerit hoc est rei ipsi conformis & ad æquata, ut *eis rei cognitum*, jure merito dici possit. Natura itaque ideæ sita omnino est in conformatitate cum re cuius est imago, ut igitur se habet imago Alexandri in tabula, ad Alexandrum; ita se habet picta & expressa rei idea in anima, ad rem extra animam existentem. Duplex igitur rei idea in anima est, altera rei corporeæ ut idea solis & arboris, altera rei spiritualis, ut imago Dei, Angeli, & animæ rationalis. Rei corporeæ idea in cerebro stabulatur, & vi imaginationis corporeæ formatur & percipitur, sed verò rei Spiritualis idea rèsidet in mente seu intellectu. Utraque bifariam spectatur nempe ut impressa animæ instar imaginis Alexandri in annulo, & hinc expressa & actu rem ipsam animæ conspiciendam repræsentans, ad instar imaginis ex annulo expresse in cera; impressa permanet in anima vel dum nihil cogitat aut imaginando fingit; expressa cessante cogitatione & imaginationis actione, obliteratur.

Quandoquidem rei idea expressa in anima, nihil aliud est quam ipsa cogitatio vel imaginatio, nam imaginari est rei imaginem in anima gignere, & cogitare est rem in idea percipere. Hinc sponte sequitur. 1. rei ideam in mente, per se ipsam percipi, non per aliam sui ideam: nam primæ rerum formæ per seipsum percipiuntur ut lux, ne detur progressus in infinitum. Perperam igitur antiquæ philosophiæ mangones, assertunt se habere ideam cogitationis distinctam, si Deo placet scilicet ab ipsa cogitatione, cum enim cogitatio sit omnino rei in idea præceptio, daretur idea idea & iterum iterumque in infinitum idea ideæ. Dicendum itaque est nos cogitationem mente percipere per seipsum, absque distincta ipsius cogitationis idea, quia cogitatio ipsa, rei idea est expressa in mente. 2. hinc sequitur ideam quatenus rei idea est, mente percipi actu reflexo, nempe actione mentis directa res ipsa cognoscitur in ipsius idea: Sed actione mentis reflexa rei idea percipitur sub ratione ideæ, ubi mens ad primam suam operationem reflexa, cernit formam illam rei, qua imbutitur, & judicat exactam esse rei, quam prima sua operatione novit, imaginem. 3. hinc sequitur quicquid ratio de re judicat affirmando vel negando, vel fando rei attribuit, verum esse si exactæ rei ideae apprimè conveniat, vel falsum si minus ideae conveniat.

Queritur & vehementer disceptatur, unde rerum in anima ideæ seu species originem ducant Aristoteles lib. 3. de anim., c. 10. Ex sensibus ortum trahere assertit dum in fit διὰ τὸ ὅπη μὴ αἰδοτέρευτον οὐδὲν, ἀλλὰ μάθεται, οὐδὲ λύγεται. Ideoque qui nihil sentit, nihil discere aut intelligere potest. Hinc Peripateticorum axioma vulgatum. Nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu. Quipotest verò? Quadrifariam inquirunt, nempe vel compositione idearum, v. g. ubi ex ideis separatis auri & montis, ideam montis aurei mens fingit exprimitque in anima: vel amplificatione ut dum idea hominis proceri augetur, crescit in ideam gigantis, vel immunitatione ut dum idea proceræ magnitudinis minuitur & decrescit ad ideam pumilionis. Vel denique proportionè ut dum ex idea visæ arboris, ideam alterius arboris puta Garroë, quam oculis nulquam usurpavimus, imaginatio fingit exprimitque in anima. Qui Renatum Cartesium sequuntur καὶ τὸ δός, vehementer obnuntuntur & ideas bene multas vel animæ innatas docent, vel aliunde quam ex sensibus duxisse originem asseveranter

pronuntiant : quibus rationibus sententiam suam astruxerint in Disputationibus et
æqua lance perpendemus.

CAPUT SECUNDUM.

*De Idearum objecto seu prototypo, quod conceptum objectivum
Scholastici appellant.*

Quandoquidem imaginis essentia, in conformitate exacta cum exemplari seu re in ipsa repræsentata posita est, ut ne quidem intelligi aut exprimi idea possit absque habitudine ad rem ad cuius similitudinem vel in mente formatur. Idearum natura plene ut intelligatur res quarumcumque ideae sunt, paulo acrius considerande veniunt. Quicquid à nihilo discernitur & in mentis perceptionem cadit vel res est, vel modus rei, vel res & modus simul hoc est res hoc modo determinata. Itaque idea quævis vel rem vel rei modum, vel rem hoc aut illo modo determinatam animæ repræsentat conspiciendam.

Res ut à modo discernitur est quicquid subsistit per se & modis omnibus , qui in ea concipiuntur substernitur , & vulgo substantia appellatur , unde conflatur ordinata substantiarum series , quæ vulgo categoria substantiarum dicitur .

Modus ut à re discernitur est quicquid substantiae inest vel adest , eamque determinat facitque tali modo se habere & vulgo accidens appellatur. Unde conflantur vulgares novem accidentium ordinatae series seu categoriae.

Res modo affecta & determinata est complexum aliquod ex substantia & modo ipsius, ut prudens, justus, sapiens &c. unde oriuntur paronyma seu concreta, quæ utpote conflata ex rebus diversæ naturæ & entia per accidens è categoris arcantur.

Vocabula quibus res significantur sunt substantiva & absoluta ut Deus, sol, terra, arbor, vocabula quibus modi primū & directè significantur etiamnum absoluta sunt ut prudentia, justitia, sapientia vestis &c. Vocabula demum quibus res & modus conjunctim significantur adjectiva, concreta & connotativa sunt ut album, prudens, justus, vestitus &c. & primū sed confuse substantiam, secundo sed clare modum significant.

Modus est duplex realis & apparens, realis, qui reapse modus rei est, & hoc charactere discernitur, ut sine eo substantia cuius modus est clare & distinctè concipiatur, sed vice versa modus ipse concipi nequit absque habitudine ad substantiam cuius est modus v. g. possum concipere naturam intelligentem non concepta ipsius justitia, contra vero non possum concipere justitiam non concepta habitudine, quam habet ad naturam intelligentem.

Modus apparet, qui prima fronte modus videtur, sed reapse haudquaquam est, quia continetur in idea essentiali rei cuius modus videtur, v. g. Deitas & humanitas, Dei & hominis modi apparentes sunt, nempe humanitas in idea essentiali hominis, & Deitas in idea essentiali Dei ita continetur, ut Deus absque Deitate & homo absque humanitate non concipi nendum esse valeat.

Modus realis est multiplex. 1. **essentialis**, qui continetur in idea essentiali rei, ita exten-

LOGICARUM.

Extentio, modus essentialis est substantiae corporeæ, quia idea substantiae corporeæ representat substantiam extensam in longitudinem, latitudinem & profunditatem, ita rō rationale modus est essentialis in homine, modus inquam, quia determinat animal in homine ut tali modo se habeat, nempe ut sit rationale: sed modus essentialis est, quia continetur in idea hominis ut sine rationalitate, seu cogitandi facultate, homo nequaquam concipi possit. 2. accidentarius, qui substantiam tali modo informat, nec ab ea seorsim existere, vel concipi potest, sed ideam ejus essentialiem seu finitionem non ingreditur v. g. prudentia qua homo prudens dicitur. 3. modus verus extra ideam rei essentialiem positus geminus est, internus alter ut rotunditas in terra, cæteraque id genus, quæ accidentia Physica vulgo audiunt; Externus alter iste duplex, nempe substantialis, ut vestis qua homo vestitus est, & accidentis Logicum discriminis ergo appellatur, & accidentarius cujusmodi sunt quotquot ab aliorum partibus vel actionibus originem ducent ut visum esse, dextrum & sinistrum esse in pariete & denominations externæ jure merito nuncupantur.

Si rerum modorum ve hujusmodi, ideæ seu imagines, quibus humana mens informatur, objectis suis conformes plane fuerint, verae sunt, fecus falsæ & adulterinæ habentur v. g. idea venerandi senis, emblema quidem sapientiæ & æternitatis Numinis, non vera tamen naturæ divinæ idea est, nempe nullam habet cum spiritu immenso, invisibili & indivisibili conformitatem.

CAPUT TERTIUM.

De Idearum simplicitate, compositione & existentia.

Cum pro comperto omnibus est, naturam & veritatem cuiuscumque imaginis, sive corporea illa fuerit, sive spiritualis, in exacta ad objectum representatum conformitate omnino positam esse. Hinc pro rerum in ideis representatarum varietate, variæ & multiformes in mente ideæ pinguntur. Res autem multifariam spestari potest. 1. juxta naturam, seu essentiam, quæ primum omnium rei convenit, ut sine ea res nec esse nec concipi quidem possit. 2. juxta naturam, modo quovis vestitam v. g. triangulum aureum, æneum &c. 3. in habitudine ad res alias, quibus rem inesse vel non inesse mente percipimus v. g. natura humana in habitudine ad Petrum & Bucephalum. 4. denique in habitudine ad intellectum cogitatem. Hinc fit ut ideæ pro objectorum, quæ menti praesentia sistunt indole; aliæ sint simplices, compositæ aliæ, exque iterum magis, minusve composite v. g. Si ens juxta ipsius naturam mente percepero; ideam habeo simplicem quippe Ens, praesice consideratum à quovis ente determinato cui inest, ex pluribus gradibus essentialibus haudquam conflatur: sed contra si substantiam juxta ipsius naturam cogitvero, ideam habeo compositam, nempe ens per se seu independens à quovis objecto, cogito. Iterum ubi naturam corporis mente percipio, ideam fingo magis compositam, nimirum cogito substantiam extensam in longitudinem, latitudinem & profunditatem & sic deinceps ideam fingo veram sed magis compositam, quo ab ente descendo ulterius ad quodvis singulare ens.

Hujusmodi rerum ideæ simplices, compositæ ve fuerint uti rerum essentiam

menti repræsentant, naturales & essentiales habentur, non quidem quod rerum essentialias constituant, nempe rei idea in mente est, extra rem, quam animo sicut præsentem; sed juxta representationem, quippe quæ rei naturam animæ cognoscendam exhibent. Non ita habent ideæ, quæ rem modo vestitam menti sicut præsentem, v. g. idea trianguli aurei non est idea essentialis trianguli, nempe triangulo accedit esse aureo. Etsi tamen verum est ideam trianguli aurei essentialalem esse triangulo aureo, quippe ipsius essentialiam menti repræsentat exacta sua cum triangulo aureo conformitate. Hinc colligere in promptu est ideam esse geminam essentialiem alteram, alteram accidentariam semper & ubique compositam. Ideam vero essentialiem esse duplicum, alteram simplicem, compositam magis vel minus alteram.

Hic queritur; num ideæ sint reapse entia vel entia rationis tantum. Nulla equitem Idea est quam opus rationis jure esse negaveris; nam & in anima rationali stabulatur & vi rationis seu cogitationis in mente formatur. Sed vero in habitudine ad objectum quod animo repræsentat, idea vera & reapse est quæ objectū verum & minimè fictum exhibet. Contra vero rationis idea est, quæ objectum verum non repræsentat, sed merum rationis figuramentum, ut idea Centauri, chimerae & tragediaphi. Quæstionem propositam, perstricturis observare operæ pretium est primo quicquid mente percipitur esse rem seu subjectum vel rei modum, vel rem & modum simul. Secundo rem seu ens fusâ suâ significatione complecti, quicquid non est merum nihil seu omnis entis negatio, quod vel infinita potentia planè impossibile est. Unde sequitur modum quælibet non fictum, rem esse fusâ isthac rei seu entis nomenclatione, quapropter & idea, vel modi non ficti vera est, quippe quæ rem veram, non fictam animo repræsentat. At enim res à modo suo distincta magis est ens, quippe non est aliquid entis sicut modus, idcirco idea modi in habitudine ad ideam rei, idea modalis est. Observandum denique est ens ut à modo distinguitur esse, vel quod habet essentialiam verbi gratia triangulum, vel quod habet existentiam ut hoc triangulum h̄c & nunc delineatum. His præmissis respondemus, ideam cuiuslibet modi vel entis non ficti, sive essentialiam sive existentiam habeat, esse veram, nempe mens cogitando & percipiendo non facit rem esse, sed rem, quæ reapse est, percipit, etenim si mens rem ipsam sua perceptione produceret, nemo erraret uspiam, aut mentiretur; quia ideam rei ipsi conformem haberet in animo & conceptis verbis aliis exprimeret. Hinc in proclivi, concludere est, ideam rei, quæ habet essentialiam, ab existentiâ distinctam ut trianguli, non minus esse veram, quam ideam rei, quæ habet existentiam. Ulterius progradimur, ut incunctanter asseramus ideam rei, quæ habet essentialiam ab existentiâ distinctam, magis esse veram quam ideam rei, quæ habet existentiam, quia res existens producta, destrui potest & in nihilum redigi, sed vero res quæ habet essentialiam in cuius naturâ existentia nec est nec concipitur, destrui vel annihilari nulla vi, nulla ratione potest, uti necesse est hominem esse animal intellectu præditum. vel si nullus homo singularis existeret, & rosam esse florem, hyeme seviente, vel, dum nulla rosa existit. Concludamus itaque, quotquot idea rem vel rei modum non fictum repræsentant, veras esse in mente formas rebus ipsis conformes, non mera rationis figura quæles sunt, ideæ chimerae & Centauri, quæ merum rationis figuramentum, non rem veram repræsentant.

CAPUT QUARTUM.

De universalitate, particularitate & singularitate idearum.

Res in habitudine ad alias, quibus insunt vel non insunt, duūm sunt omnino generum: nempe aliæ pluribus insunt vel suâpte naturâ inesse possunt, & universales seu multis communes habentur verbi gratia: triangulum, circulus, homo &c. Vel nec aliis insunt, nec suâpte naturâ inesse possunt, atque hæc individua vel singularia hoc est incomunicabilia nuncupantur, ut hic circulus, hæc rosa, Petrus & Bucephalus. Sed vero singularia bifariam spectantur: nimur ut distinctè cognita & nomine proprio, vel pronomine demonstrativo determinata, vel ut confusè & indistinctè cognita, & nomine communi ad partem aliquam limitata & tunc particularia seu individua vagâ dicuntur, ut aliquis homo &c.

Hinc totidem oriuntur ideae nempe idea universalis, singularis & particularis. Idea universalis est, quæ rem unam multis communem vel communicabilem menti repræsentat & nomine communi multis, effertur: verbi gratia idea trianguli, hominis &c. Singularis idea est, quæ rem unam singularem, hoc est, nullis aliis communicabilem animæ repræsentat: verbi gratia. Idea Christi, Julii Cæsaris, &c. Idea particularis est, quæ rem unam & nullis communicabilem confusè & indistinctè nobis repræsentat: verbi gratia; Idea alicujus indeterminati hominis.

Sed vero res, quæ suis ideis repræsentantur, duūm generum omnino sunt, nempe aliæ, aliis reapse insunt secundum naturam suam, ut non magis in uno sint quam in alio, verbi gratia natura hominis in Petro & Paulo & natura animalis in homine & Leone atque hæc ut nomine communi efferuntur, & ὡνόμων Græcis, Latinis autem univoca dicuntur: aliæ aliis convenient, non quod omnibus insint ex aequo, sed unī reapse, aliis vero propter dependentiam ab uno, seu habitudinem quamdam ad id unum, vel causæ ad effectum vel signi ad rem significatam, vel similitudinis, ad prototypum, verbi gratia sanitas reapse animali inest, sed aëri, cibo deambulationi, urinæ &c. externa denominatione tantum, ut risus homini inest, sed prato floribus variegato, propter similitudinem quamdam ad hominem ridentem. Atque hinc ὡνόμων Græcis, Latinis vero aquivoca sunt. Neotericis autem; sed perperam analogia dicuntur. Aristoteli τοσ διαφοραί τὰ φύσει αἱρέται, ad unum & unam aliquam naturam ab uno, Hinc totidem idee cooruntur nempe univocæ, quæ rem unam multis nomine & re communem seu communicabilem repræsentant, & aquivocæ, quæ rem unam multis communem nomine, uni propriè & primū, aliis vero propter dependentiam ab illo repræsentat, verbi gratia idea fani.

CA-

INSTITUTIONUM

CAPUT QUINTUM.

Quomodo ideæ formantur in mente.

Quandoquidem mens humana finita est : objecta vero , quæ ipsi obversantur , multifaria nec non reapse distincta sunt : nempe substantia seu subjectum & modus in substantia , itaque non raro multiplex. Hinc ideis multifloribus mens humana informatur non quidem mere passivè uti speculum , sed promiscuè ex actione & passione ; nempe rem attentè cogitando , rei ideam ex re ipsâ veluti exsculpit , recipique in se. e

Actio , quâ mens hominum varias fingit ideas , abstractio seu præcisio est : eaque duplex ; *simplex* & *complexa*. Abstractione simplex est consideratio unius non considerato alio eti in re ipsâ coniuncta sunt , quod contingit multifariam proportionem mordorum ve varietate.

Primò in corporibus , quæ ex partibus organicis & dissimilari bus conflantur , verbi gratia , dum ideam capit is concipio , non concepto humero vel brachio.

Secundò in modis , verbi gratia , dum concipio albedinem in lacte , non concepta dulcedine , & in nive , non concepto frigore , & in corpore longitudinem , non conceptâ latitudine vel profunditate.

Tertiò in substantiâ , verbi gratia , dum concipio substantiam , non conceptis ipsis modis.

Quartò in rerum essentiâ , verbi gratia , dum in homine concipio naturam entis , non conceptâ naturâ substantiæ , vel naturam substantiæ , non conceptâ naturâ corporis , vel naturam corporis , non conceptâ naturâ animalis , vel naturam animalis , non conceptâ naturâ rationali , vel naturam rationalem , non conceptâ ipsis existentia vel subsistentia , quam barbari vocant Pauleitatem , Petreitatem &c. Hinc liquet , inter considerandum rerum compositarum naturam , gradum superiorem necessariò includi in inferiori ; sed vice versa inferiorem non includi in superiori.

Quintò in rebus in habitudine ad alias , quibus insunt consideratis , verbi gratia , dum concipio naturam animalis in homine & equo , nec eam concipio in leone & cane.

Quando autem certum est , quemlibet vere concipere , hoc est , rebus ipsis convenienter , quaecunque haec tenus enumeravimus , non conceptis aliis , & mentem concipiendo veras rerum ideas , ipsas quidem ideas efformare exactè ad res ipsas , non res ipsas pariter. Hinc sequitur primò essentiarum compositarum gradus esse reapse distinctos , non tamen distantes aut quadam intervallo diffitos. Secundò quamplurimas res reapse esse universales , hoc est , multis communes vel communicabiles , alias vero reapse singulares , hoc est , multis secundum essentiam suam incomunicabiles.

Abstractione mentis complexa est separatio mentalis unius ab alio , quæ fit per negationem.

negationem, verbi gratia, ubi concipio, rosam non esse lapidem, & angelum non esse corpus, haec autem mentis complexa præcilio, geminam supponit in mente ideam, nempe angeli & corporis.

CAPUT SEXTUM.

De Idearum perfectione & imperfectione, perspicuitate & obscuritate, distinctione & confusione.

Quicquid veritatis & scientiæ, falsitatis & erroris in anima rationali stabulatur, quicquid virtutis vel virtutis, felicitatis vel miseriae, animam nostram perficit & nobilitat, inquinat vel labefactat, ex idearum seu mavis perceptionum notionum ve perfectione vel imperfectione, perspicuitate aut obscuritate, distinctione vel confusione originem dicit, nempe qui rem percipit sicuti est, ut rei conveniens atque adeo conforme judicium ferat, ille quidem erroris expers sciensque est, si secus turpiter errat & fallitur vehementer. Sed vero res duum omnino generum sunt, aliae quidem verae & bona veritate atque bonitate entis, quæ ad intellectum speculativum pertinent, ut cognitæ & recte dijudicatae, sua illa cognita veritate non moveant appetitum rationalem sui amore vel odio. Atque adeo error circa res hujusmodi privatio quidem veritatis & scientiæ in animo nostro est; sed ex illo nihil quicquam virtutis moralis gignitur in animis nostris, nec virtutis itidem moralis ex veritate & scientiæ earumdem rerum; sive enim rectam notionem coeli, astrorum, Eclipsis cæterorumque affectus fuerim, sive prava falsaque eorum notitia imbutus fuerim, nihil hinc detrimenti mihi metuendum est, quod ad virtutem attinet vitium ve morale: nempe sicuti res ejusmodi independentem abs cognitione mea essentiam fortitæ sunt, ita & vita meæ institutio ad virtutem & vitium, felicitatem & miseriæ, libera plane atque soluta ab illis est. Sed vero res aliae que sub nostram perceptionem cadere solent, verae simul ac bona sunt veritate & bonitate morali, ut recte cognitæ & dijudicatae in appetitu rationali sui amorem & desiderium suopte ingenio excitent, unde virtus moralis succrescit. Sed vero si perperam cognoscantur & dijudicentur, sui creant odium, aversionem & fugam, unde vitium succrescit in voluntate; atque adeo objecta sunt intellectus practici, qui clare perspecta veritate & bonitate morali, nihil cunctatus pronuntiat amandam esse & sedulo studio prosequendam. Ex præmissis quibus cor sapit facili negotio colligent, quanti facienda sint perfectæ & perspicuae quarumlibet rerum idea, quam vero præcavenda sint imperfectæ obscuræ & falsæ rerum idea. Age igitur de istiusmodi perceptionibus nostris paulo accuratius impræsentiarum agamus.

Idea perfecta est, quæ quicquid est in objecto seu re cognita menti nostræ repræsentat, cuiusmodi sunt exactæ rerum finitiones. Ut idea trianguli perfecta est, quæ figuram repræsentat trium angulorum parium duobus rectis, & idea numeri, quæ unitatum multitudinem, & idea quaternarii, quæ quatuor unitates ordinatas animo sicut presentes. Hinc sequitur Ideam imperfectam esse, quæ quicquid in objecto est minus repræsentat animo; ut cæterū aliquid, quod in re est sicut animo præsens, ut idea figuræ, imperfecta trianguli idea est, atque adeo idea omnes superiorum, quæ inferi-

rioribus essentialiter insunt, omnesque finitiones mancae, & quas vocant descriptions.

Idea perspicua est, quæ attento animo, præsens & manifesta objecti notio est, verbi gratia, idea trianguli, quâ cognoscitur, ut figura habens tres angulos pares duobus rectis, & idea numeri, qua percipitur ut ordinata unitatum multitudo. Atque adeo Idea obscura est, quæ attento animo non est præsens & manifesta objecti notitia; sed objecti aliquid animo tantum repræsentat. Sicut enim Barthimæus obscurè primum oculis corporeis homines, quia sicut arbores percipiebat: nempe aliquid quod erat in hominibus, videlicet substantiam corpoream erectam, percipiebat. Non secus & mens animæ nostræ oculus, obscurè rem percipit notitiamque habet obscuram, ubicumque attenta sua acie aliquid tantum objecti, non vero quicquid est in objecto percipit, verbi gratia, Idea figuræ, obscura est idea trianguli, ubicumque triangulum uti figuram tantummodo percipio. Unde sequitur quoties ideam seu notitiam rei inferioris obscuram habeo, quippe aliquid tantum ipsius percipio, me claram & distinctam habere ideam seu notionem superioris.

Idea distincta est, quæ quicquid in objecto est ita repræsentat attento animo, ut simul differens & distincta sit ab omnibus aliis aliorum objectorum ideis, verbi gratia, idea trianguli, qua cognoscitur, ut figura habens tres angulos pares duobus rectis, distincta trianguli idea est, quia quicquid est in triangulo ita repræsentat animo attento, ut sit simul distincta & differens ab omnibus aliis objectorum & figurarum, verbi gratia circuli, quadrati & cæterarum ideis. Confusa itaque idea est, quæ quicquid in objecto est animo attento nec repræsentat, nec ab omnibus aliorum objectorum ideis, differens & distincta, verbi gratia idea figuræ, confusa est idea trianguli.

Hinc omnibus causa præjudicio vacuis perliquidum fit, quâ parum cautæ Cartesius ejusque discipuli philosophati fuerint, ubi Idearum perfectionem, perspicuitatem, & distinctionem, momenta esse ipsarum reapse diversa asserere sustineunt, nec non ore rotundo passim pronuntiare, ideam & notionem objecti esse posse claram, non tamen distinctam; sed contra nullam esse posse distinctam ideam seu notionem, quin simul clara sit & perspicua. Sed vero et si ipsorum errorem detegit idearum perfectarum & imperfectarum, perspicuarum & obscurarum, distinctarum & confusarum, exacta & ab ipsis petita finitio. Age & ratione illum ipsum eorum errorem in aperta luce locemus. Si idea clara ipso sua perspicuitatis jure non pariter distincta fuerit, utique confusa erit, confusa vero idea obscura est; nempe confusio semper & ubique in obscuro est & simul oculo corporis, simul ocu- lo mentis obscuritatem parit. Hinc lux perspicua est, quia umbrarum & tenebra- rum confusionem fugat arcetque procul.

Nec pervulgatum apud eos exemplum doloris, quem in manu perfentiscimus, eorum causam juvare quicquam videtur. Ubi quis vehementer dolet, inquit Cartesius, claram habet doloris notitiam, sed non habet pariter distinctam, quippe eam confundit cum falso judicio, quod fert de natura rei, quam in parte laesa esse judicat, existi- matque similem esse ideæ doloris, quâ habet in mente. Quidni vero existimaret quod res est? Etenim si idea doloris; quo quis vehementer pungitur in manu vel pede, non fo- ret ipsi dolori similis & conformis, utique vera non foret doloris idea, neque adeo clara; sed omnino falsa, non itaque confundit veram & claram ideam doloris, quo-
lan-

Lancinatur in pede, qui judicat similem esse rei seu motioni contrariae, qua in parte laesa misere divexatur. Sed falsos habet Cartesium & ejus discipulos, male præconcepta isthac opinio, nempe dolorem corporeum non esse in corpore, sed in ipsa anima perceptionem aversionis ipsius ab aliqua motione naturae adversa, quod liquido constare hariolantur, quippe quæ dolorem cident in corpore, ubi de iis cogitamus, nullum excitare dolorem videntur ubi alio divertit mens, vehementer circa obiectum aliud occupata. Respondemus idquidem contingere perraro posse, ut in extasi prophetica, ubi partes corporis, spiritibus in cor & cerebrum confertim confluentibus, destituta, contrariam naturae motionem minus possunt persentiscere instar solitarum paralyti partium: sed una birundo non facit ver, nec dies una frigida hyemem. Reaperte dolor in manu animata & spiritibus referta est. Sinfecus integrum esset unicuique vehementi animae in rem aliam intentione, acri nephritis, sciatricæ & podagræ dolore liberare sese. Concludamus igitur ideam quamlibet perspicuam, pariter esse distinctam, & tria isthac ideam perfectam, claram, & distinctam omnino reciprocari, ut idea perspicuitas & distinctio, ex idea perfectione profluant uti proprietas subjecto, & quo nomine idea perfecta est, eo ipso esse perspicuam atque distinctam. Hinc pari jure colligere est, ideam quamlibet imperfectam, obscuram esse & confusam.

Verum idea seu esse rei cogniti, imperfectio, obscuritas & confusio ex multis originem dicit, 1. ex defectu eorum omnium, quæ reaperte in objecto sunt, ita figuræ idea, imperfecta trianguli idea est, quippe omnia quæ sunt in triangulo non comprehendit. 2. ex admixtione eorum, quæ ab objecto aliena sunt, ut idea centauri, imperfecta, obscura & confusa hominis idea est, quia comprehendit & repræsentat naturam equinam, quæ ab homine aliena est.

CAPUT SEPTIMUM.

De Ideis in habitudine ad voces, quibus significantur.

Sicut idea signum seu imago rei nobis in mente est, non secus & vox articula seu nomen illa fuerit, seu verbum, signum idea nostræ aliis est, nempe sermone conceptus nostros, seu præconceptas rerum ideas aliis significamus. Scite enim Aristoteles, ιτι μὲν τὰ οὐ φαῖ τὰ οὐ ιτι ψυχῆ πάθημάτων σύμβολα. Quæ sunt in voce, notæ sunt passionum, quæ sunt in anima, de Interp. c. 1. Ut ergo idea se habet ad rem, ita se habet sermo ad Ideam. Hinc sponte sequitur. 1. Si perfecta & perspicua fuerit rei in mente idea, perfectum fore & perspicuum sermonem, quo idea perfecta & perspicua aliis significatur, nisi quis dolo malo mentiri, hoc est contra mentem exacta idea informatam, ire voluerit. Contra verò si imperfecta, obscura & falsa rei idea in mente picta fuerit, sermonem fore imperfectum, obscurum, confusum & plerumque falso, atque adeo argumentum omni exceptione majus, ignari & errantis hominis, nam verè dixit Menander poëta ἀριδεὸς χαρακτὴρ εἰ λόγος γνωσίγνωσις. Viri character ex sermone dignoscitur. 2. Voces quum primum audiuntur, ideas rerum, quibus significandis ex instituto deputatae sunt, excitare in anima aliorum; nem-

INSTITUTIONUM

Per signum præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud, nimurum rem significatam, in nostram cognitionem venire.

Sed enim uti Idearum aliæ magis, aliæ minus compositæ sunt, ut supra demonstravimus. Non secus & voces, aliæ magis, minus aliæ compositæ sunt.

In vocibus compositis, quibus idea composita significatur, observare operæ præsum est. 1. voces alias super additas esse geminas, alias determinantes; alias vero explicantes. Voces determinantes sunt, quæ aliis superadditæ ideam universalem limitant ad partem quamdam eorum, quibus idea universalis competit, verbi gratia, ubi dico homines prudentes, corpora gravia &c. Voces illæ superadditæ, ideam universalem hominis & corporis, ad certam partem hominum & corporum limitant, ut vox homo, corpus, non amplius omnes homines, & omnia corpora significant; sed genus tantum seu partem hominum & corporum. Voces explicantes sunt, quæ aliis superadditæ ideam tantum explicant, voce cui superadduntur significatum, verbi gratia, ubi dico homo, qui est animal conflatum ex anima & corpore; homo, qui est disciplinæ capax; homo, qui studio felicitatis ducitur &c. nempe voces illæ nihil superaddunt idæ hominis, sed quæ in idea hominis comprehendentur, solummodo explicant. 2. voces compositæ esse iterum geminas, alias quidem in ipso fono, ut dum dico Imperator, qui hodie imperat, alias vero non in fono: sed in sensu, ut dum Galli dicunt Rex, vocem illam in sensu & intellectu suo compositam faciunt, ea enim ideam universalem Regis limitat ad Ludovicum 14. quasi pronuntiantes hanc vocem Rex, dicent Rex noster Ludovicus 14.

Verum uti usu venit unam vocem plures ideas significare ob verborum penitiam, verbi gratia hæc vox canis. Hinc sequitur voces æquivocas seu ambiguas esse complexas, non in fono: sed in sensu, nisi qui voce ambigua uititur, prius monuerit se ad unam ideam verbi gratia canis terrestris significandam, eam solummodo exhibere.

Voces sono simplices: sed in sensu & intellectu compositæ, quia plures ideas significant errore & abuso non raro æquivocæ sunt, verbi gratia haec vox virtus, si ab Ethnico philosopho proferatur, ideam significat virtutis Ethnicae, quæ larva tantum virtutis est; sed vero si eadem vox à Christiano & Orthodoxo Theologo proferatur, longe aliud sonat; nempe qualitatem supernaturalem menti vel voluntati infusam. Non secus & hæc vox vera Religio, errore & abuso æquivoca est. et si enim unam ideam ex instituto significat, multas tamen & longe diversas ideas, hominum errore significat; nempe si à Musulmanno proferatur, Mahummedis religionem, si à Juðæo, cultum synagogæ, si à Pontificio cultum pontificium significat. In veritatis indagine, ne vocum ambiguitas difficultatem pariat & ideas turpiter confundat, duo comprimis agenda sunt, nempe finitio nominis & finitio rei, seu idæ; hoc est precisè explicandum est cui rei significanda vox seu sermo adhibeat, quidque demum per rem illam intelligatur, seu quid ipsius idea seu notio comprehendat in feso. Ubi duo illa præmiseris. Vox ideam illam excitabit in anima tua & aliorum, ideam, inquam, distinctam ab aliis quibusvis ideis, ut ab artibus vitilitigatorum tutus, procul ab omni contentione verborum, & idearum confusione, ad veritatem rectâ contendat dissertatio.

Hic verò comprimis observandum est, quam verba ciere solent ideam, non raro esse

esse duplicem, principem & nativam alteram, ascitam alteram, quæ nativæ agnoscitur, uti pullus arboris, verbi gratia, si quem mendaci insimulatur dixerim *mentitus es*, nativa & princeps idea, quam criminatoria isthac oratio excitat, est quem alloquor hominem fecus atque sentit loquutum esse: Sed enim quia homines mentiri solent malo fallendi animo, vel suam ut occultent turpitudinem, ne in pudorem dentur, vel alios ut calumnientur, vel quia timore, spe mala, animi levitate, aut demum pura puta malitia ducuntur. Hinc factum, ut hic sermo *mentitus es*, summa injuria nempe contemptus ideam excitet, quæ principi idea mendacii asciscitur & accedit.

Iterum hic observare juvat, verba nativam & ascitam ideam excitare bifatiam, nimirum vel ex propria sua significatione usu recepta, verbi gratia, verbum *mentiris*, vel ex adjunctis verbi gratia prouniuatione & tono vocis, figura oris & gestu loquentis, nempe iis omnibus verba non rei modo cui significandæ deputa sunt, idem primum excitant, sed & præterea ideam affectionis animi, opinionis & judicij loquentis. Hinc usu venit, ut verba eadem, modo placeant, modo displiceant, modo venerationis, modo contemptus, modo amoris, modo odii ideam in animo cieant. Denique verba istiusmodi, quæ nativam & ascitam ideam excitant, vel simplicia sunt, ut bona verba quæ sò, *mentiris* &c. vel figurata ut audite cæli & auribus percipe terra, cognovit bos posse sorem suum & asinus præsepe Domini sui, Iſraël non cognovit, populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini malorum. If. 1. 2, 3, 4. ea enim & id genus cætera, præter nativam rei ideam, & bene multas ascitas in animo excitant, quippe animi passionem Prophetæ, opinionem & judicium de populo Iſraël, ingrat & stupidi ejus animi crimen & cæterorum criminum ideam in animo prophetæ, audientium & legentium confertim excitant, & rei naturam in commovendos animi affectus comparatam esse demonstrant. Unde in transcris advertere est: rerum practicarum, quæ ad affectus animi spectant, ideas melius & vividius verbis figuratis, quam nudis & simplicibus significari.

Perpectis ferè undecimque Ideis. Res quaruncumque idea sunt, tantumdem considerandæ veniunt, quantum rationis operationibus rite explicandis sufficit. Res autem spectari debent. 1. juxta naturam, quæ primum in ipsis est, ut ipsa procul, res esse vel concipi haudquam possit. Res vero sub idea illiusmodi spectatas, Peripatetici in decem series, quas vocant categorias, distribuere solent. 2. res spectantur uti aliis insunt, vel non insunt, & sub idea illiusmodi, universales, vel singulares, vel modi determinantes sunt, & prædicabiles in abstracto, vel in concreto dicuntur, quotquot aliis insunt, vel inesse aut communicari possunt, & in quinque universalia seu prædicabilia dispescuntur. 3. res aliis insunt, vel inesse utcumque possunt, juxta nomen & essentiam, & ἀναφορα Græcis, Latinis *univoca* dicuntur, vel secundum nomen non vero juxta naturam insunt & Græcis οὐσία, Latinis *equivocata* appellantur. Age igitur de iis omnibus quantum satis ad mentis operationem rectam, explicandum, agamus.

C. A.

CAPUT OCTAVUM.

De Categoriorum earumque usu.

Kατηγορία Græcis, *accusatio* est, δέσμος ή κατηγορία, quod *accusare & arguere* est. Inde translatione quadam metaphorica, rerum series, quarum alia alii insunt, categoria ab Aristotele appellatur, nempe sicut accusator, reo crimen tribuit, non fecus & quæ alii insunt, suam iis tribuunt naturam & proprietatem, quapropter in rerum subordinatarum serie, subjecta quævis reorum adinstar sunt, quibus simul suam essentiam, simul proprietates, superiora tribuunt, ut eorum quodlibet accusatoris adinstar, quid tribuat subjectis suis.

Kατηγορία igitur, Latinis verò prædicamentum est *series ordinata generum, per differentias essentiales in plures species, & specierum per differentias in plures singulares, sub genere summo, distributorum.*

Categoria Peripateticorum vulgo, in decem species tribuitur, nimirum in prædicamentum *substantiæ, quantitatis, qualitatis, relationis, actionis, passionis, ubi, quando, situs & habitus.* Cartesianis verò in septem classes quotquot sub mentis perceptionem cadunt, distribui placet, nimirum in *Mentem*, seu iubstantiam cogitantem; *Materiam* seu extensam substantiam, *Mensuram* seu quantitatem, qua partes materiae mensurantur; *posituram* seu partium situm mutuum, *Figuram* seu quantitatis terminationem variam; *Motum*, quo mutantur, & *quietem*. Hinc apud eos pervulgatum.

Mens mensura, quies, motus, postura, figura.

Sunt cum materia, cunctarum exordia rerum.

Una nobis absolutè Categoria entis est, nempe *Ens Genus synonymum est*, quod in substantiam, per se subsistere per se, & in accidentis per se subsistere in alio & dependenter à subjecto, distribuitur. Categoria vero secundum quid, est *series generum per differentias essentiales in plures species tributorum, sub genere summo secundum quid,* hoc est in tali genere entis, ut substantia, quantitas &c. Si categoria secundum quid spectetur, non in septenarium, aut denarium numerum, sed in majorem pro lubitu distractri potest.

Ufus rerum, modorumve in classes seriesve varias distributorum, multiplex est. 1. ad vitandam idearum in mente confusionem, ne objectorum multitudine finita mens obruatur. 2. ut mens objecti propositi veritatem & naturam indagatura, quæ rei essentiam constituant secernuntque ab aliis, tuta queat invenire, & ab ipsius, momentis necessariis, quæ partu quodam necessario abs re profluunt, modisque accidentariis, apprimè discernere; quicquid enim in essentia rei est, intra seriem ipsius categoricam continetur, vel ut superius, vel ut dividens superioris & subjectum constituens & à cæteris quibuslibet essentialiter secernens, cætera, quæ quidem subjecto convenient, vel ipsius modi proprii sunt, vel accidentia, ipsi aliquique naturæ diversæ, communes. 3. ut mens beneficio prædicamenti, ubi objectum suum stabulatur, perspectis ipsius generibus, speciebus, differentiâ, individuis, modisque propriis & communibus, varia & vera de objecto concipiatur judicia. 4. ut inde me-

dios

dios terminos opportunos eruat, ad questionem seu thesim propositam propagandam, vel oppugnandam.

CAPUT NONUM.

De Substantia.

Logica & Metaphysica substantiam considerant: sed ratio considerandi est longe diversa; nempe Metaphysica Substantiam contemplatur quatenus est Ens. Logica vero quatenus est rationis objectum, quo de multa judicia concipit, & ex multis judiciis varia ratiocinia conficit, ut rectam ipsius notitiam assequatur.

Substantia Græcis οὐσία quasi ιδέα, est enim Entium nobilissimum τὸ ἐντός verè & absolutè Ens. Accidens vero seu modus substantiae οὐσίας οὐ. Ens Entis, hoc est non absolutè Ens, sed aliquid entis tantum.

Verum οὐσία Substantia, vox ambigua est: nam vel essentiam rei cuiusvis significat, unde Philosophus τὸ πᾶν εἶναι, λέγεται εἶναι η ιδέας οὐσία, quod quid erat esse, dicitur esse unius/cujusque substantia. 7. Metaph. c. 6. Sub hac idea & nomenclatione substantia competit in accidentia, nempe suam habent essentiam & ideam substantialem. Hinc verè dixit Philosophus η οὐσία τεργάτης η γεωμῆτρος. Substantia trianguli & lineæ 1. post. cap. 4. nempe rei cuiusvis Essentia, rei numquam ineft uti modus accidentarius, sine quo res verè ut minimum concipi potest, quippe non comprehenditur in idea ipsius essentiali. Sed vero οὐσία Substantia pressè usurpata, Ens est ab accidente, seu modo accidentario distinctum & est τὸ οὐ στὸν οὐ τοπειανοῦ δινὶ οὐσίαν οὐλεγοντο. Ens, quod in nullo subjecto est, ut homo. Categ. c. 2. hoc est, Ens per se substantia independens a subjecto inhaesione.

Substantia, ut ab accidente distinguitur duplex est infinita nempe Deus, & finita atque producta. Substantia infinita non ordinatur in serie categorica, quippe non componitur ex genere & differentia, ut quid vero? nempe differentia gradus & momentum reale essentia est, reapse distinctum à genere: Sed Numinis infinitas, reapse non distinguitur ab ipsius substantia, quia Deus simplicissimus est & indivisibilis, ut quod maxime. Itaque una finita & producta substantia, categorica est.

Substantia finita dividitur ut genus in species per τὸ corporeum & incorporeum, in substantiam corpoream & incorpoream. Corporea iterum dividitur per τὸ vivens, & non vivens in substantiam corpoream viventem, & non viventem, & sic deinceps, usque dum perveneris ad singulare quodvis & incommunicabile, ultra quod nihil inferius perieras, sed finem & terminum categoricæ seriei.

CAPUT DECIMUM.

De Quantitate.

Quantitas propriè dicta, Est extensio substantiae in longitudinem, latitudinem & profunditatem, qua substantia corporeæ essentialiter constituitur & à substantia spirituali distinguitur. Hæc dicitur quantitas molis.

Quan-

Quantitatis proprietates sunt. 1. *divisibilitas*, nam omne extensum seu corporeum est divisibile, & omne divisibile est extensum seu corporeum. 2. *mensurabilitas*: nempe omne extensum est mensurabile, & omne mensurabile est extensum. 3. *Impenetrabilitas*, quâ substantia corporea, substantiam aliam corpoream intrare indivisam admittere nequit; nimirum omne extensum est impenetrabile & omnino impenetrabile est extensum.

Verum usu venit ut eorum, quae in sensu incurruunt nomina, ad res spirituales proportione & similitudine quadam transferantur. Hinc adeo factum est, ut virtus heroicâ magna habeatur, unde Alexander magnus, magnus Pompejus &c. nempe summa virtus ad plura & praeclara facinora extenditur, atque hæc quantitas metaphorica est, & Quantitas *virtutis* appellatur.

Propriè dicta Quantitas in ambas species subalternas scinditur, nimirum in Quantitatem continuam, & discretam. Quantitas continua est, cuius partes communis vinculo copulantur. Quantitas discreta est, cuius partes discrete seu separatae sunt, ut in binario & ternario numero unitates.

Quantitas continua in quinque species vulgo distribuitur, *Lineam*, *Superficiem*, *Corpus mathematicum*, *Locum*, & *Tempus*. Linea Euclidi est, *Longitudo absque latitudine* Superficies *Longitudo & latitudo absque profunditate*. Corpus Mathematicum, *Longitudo, latitudo, & profunditas*. Locus est *spatium plenum substantia corporea*, atque adeo extensum in longitudinem, latitudinem & profunditatem, hoc est corpus mathematicum quatenus substantiam corpoream continet & terminat. Locus geminus omnino est *internus & externus*. Locus internus est *spatium internum cuiuslibet substantiae corporeæ*, & constanter ab eadem occupatum absque relatione ad aliud corpus externum: hoc est extensio ipsa in longitudinem, latitudinem & profunditatem substantiae quatenus eam continet, terminatque. Locus externus Aristoteli est *superficies corporis ambientis locatum*. Nobis *spatium externum substantiae corporeæ ambiens & continens aliam substantiam corpoream*, cuiusmodi est, spatium extensum intra latera dolii ambiens & continens vinum. Tempus Aristoteli est *numerus motus per prius & posterius*, hoc est extensio seu duratio motus, in qua numerantur partes priores & posteriores. Nobis Tempus est *duratio continua substantiae corporeæ naturalis & mobilis*. Tempus duplex omnino est *internum & externum*. Tempus internum est *interna duratio continua substantiae corporeæ naturalis & mobilis absque relatione ad aliam durationem*. Verbi gratia, duratio Alexandri, Pompeji &c. Tempus externum est *duratio continua substantiae corporeæ naturalis & mobilis*, qua durationem continuam alterius substantiae vel operationum ipsius metimus, verbi gratia duratio cœli, qua metimus durationem hominum, & brutorum sicut & durationem actionum humanarum, concionis, lectionis &c.

Quantitas discreta in ambas species scilicet in *numerum & orationem* distribuitur.

Numerus finitus, *multitudo unitatum & dividitur in binarium, ternarium &c. Oratione* est vox longitudine vel articulatione soni distincta quapropter sonus ut est qualitas sensibilis, neque ut significat est enim relatio signi ad rem significatam, quantitas haudquam est; sed extensio soni morulis & articulis suis distincta & discreta, quantitas discreta est ut liquet in hac voce *a-ni-mal*.

CAPUT DECIMUM PRIMUM.

De Qualitate.

Qualitas est *accidens seu modus*, quo *substantia dicitur qualis*. In quatuor species binomines dividitur, nempe *potentiam naturalem & impotentiam, habitum & dispositionem, sensibilem qualitatem & passionem; formam & figuram*.

Potentia naturalis est *qualitas substantiae naturaliter insita*, qua *substantia est apta ad agendum, vel patiendum, verbi gratia, intellectus, voluntas, appetitus sensitivus in anima, facultas visiva in oculo, ceterique sensus externi & interni*. Potentia naturalis est duplex *activa & passiva*; potentia naturalis activa finiente Aristotele est. ή ἀρχὴ κινήσεως καὶ μεταβολῆς τὸ ἐργόν γένεσις, principium motionis & mutationis in alio quatenus est aliud, 4. Metaph. cap. 12. v. 9. ut Lux in sole & vis altrix in stomacho. Potentia activa est duplex, perficiens & corrumpens, perficiens est *principium agendi seu communicandi influxum*, quo *subjectum passivum seu recipiens perficitur*, verbi gratia lux solis, quā aēr lumine perfunditur & illustratur. Corrumpens est *principium agendi seu communicandi influxum*, quo *substantia recipiens corrumpitur*, verbi gratia, *qualitas venenosa viperæ &c*. Potentia passiva finiente Aristotele loco laudato est ή ἀρχὴ κινήσεως καὶ μεταβολῆς ἡ φύσις τὸ ἐπέργον. Principium motionis & mutationis ab alio, quatenus est aliud. Nobis, *qualitas substantiae insita*, qua *substantia est apta ad recipiendum influxum agentis, quo movetur & mutatur, verbi gratia, qualitas ceræ insita, qua apta est ad recipiendum influxum ignis, quo liquefecit*. Impotentia naturalis est *qualitas debilis & languens substantiae naturaliter insita, qua substantia est apta ad agendum, vel patiendum imperfecte*, verbi gratia, *facultas visiva in oculo senis &c*.

Habitus est *qualitas potentiae naturali actibus iteratis ascita, & ab ipsa difficile mobilis*, qua *potentia naturalis sit apta ad prompte & expeditè agendum*, verbi gratia, omnes scientiae & artes. Habitum est multiplex pro objectorum & subjectorum & modorum acquirendi varietate, nempe alius est contemplativus, alius practicus, alius effectivus, alius corporis, alius animi, alius infusus, alius acquisitus. Dispositio est *qualitas potentiae naturali extrinsecus ascita, facile ab ipsa mobilis, qua facultas apta est ad agendum imperfecte*, verbi gratia, rudis & inchoata Logica in intellectu notitia &c.

Sensibilis qualitas, est *qualitas substantiae naturaliter insita, qua substantia ad passionem sensibus inferendam apta est*, verbi gratia, colores, soni, odores, satores, dures, mollies, gravitas, frigus, calor, humiditas, siccitas &c. Passio est *qualitas substantiae corporeæ, sensibus passionem inferens & facile mobilis à subiecto*, verbi gratia, rubedo, qua facies præ pudore suffunditur &c. Passio autem dicitur, quia & passionem infert sensibus, & ab animi passione originem trahit.

Forma est *qualitas substantiam tali modo informans, que ex varia quantitatibus naturali terminatione efflorescit*, verbi gratia, pulchritudo & deformitas faciei. Quantitatem naturalem vocamus extensionem substantiae, vestitam qualitatibus sensibilibus, est enim fori Physici. Figura est *qualitas ex varia quantitatibus mathematicæ terminata*.

minatione efflorescens, verbi gratia, circulus, triangulum &c. Quantitatem *Mathematicam* vocamus extensionem substantiae spectatam, non spectatis qualitatibus sensibilibus, est enim fori mathematici, nempe Mathematica pura qualis est Geometria & Arithmetica, quantitatem spectat non spectatis qualitatibus ipsius sensibilibus.

Enumerata quatuor specierum Qualitatis paria, ut collata invicem paria cum paribus, specie seu differentia essentiali differunt, singulorum tamen qualitates binomines collatae invicem, non specie: sed gradu perfectionis differunt tamquam perfectum ab imperfetto: nam *impotentia naturalis*, nihil quicquam aliud est, quam imperfetta naturalis potentia, dispositio pariter rudis & inchoatus habitus est.

CAPUT DUODECIMUM.

De Relatione & relatis.

Relatio est modus substantiae, quo unum ad aliud essentialiter refertur, verbi gratia, paternitas & filatio: nam per paternitatem pater refertur ad filium necessario, & vice versa per filiationem, filius ad patrem necessario refertur. Quicquid refertur relatum, id ad quod refertur correlatum appellatur.

Pro fundamento vario, relatio multas habet species: nimirum alia fundatur in actione ut paternitas in generatione activa; alia in passione, ut filatio in generatione passiva: alia in quantitate, ut paritas & imparitas; alia in qualitate ut similitudo & dissimilitudo, &c.

Relatio & correlatio, relatum & correlatum sunt simul natura, hoc est natura relationis, & correlationis simul est, ut simul atque paternitas est, sit & filatio, & vice versa. Unde sequitur 1. relationem non esse causam correlationis, nec relatum esse causam correlati, verbi gratia, paternitas non est causa filiationis, & pater non est causa filii. Ut quid vero? Respondemus duo hic sedulò esse distinguenda, materialē alterum, rem nempe, quae pater dicitur, verbi gratia, hominem: alterum verò formale seu formam, qua substantia talis habetur, verbi gratia paternitatem & filiationem. Res, quae relata est, causa quidem rei, quae correlata dicitur, esse potest, ut homo, qui pater est, hominis, qui filius dicitur, causa est: sed vero relatio verbi gratia, paternitas, non est causa correlationis, verbi gratia, filiationis: nimirum causa momento saltem naturæ effecto suo & prior est & prius concipi potest: sed paternitas ne momento quidem naturæ filiatione prior est, nec ea prior concipi potest. 2. Sublatis relatione & relato, tolli necessario correlationem & correlatum. Denique observare non abs re erit, sicut accidentia in habitudine ad substantiam minimæ sunt Entitatis, ut non tam Entia; quam Entis aliquid sint; ita & relations in habitudine ad cætera accidentia minimæ esse entitatis, ut non aliquid, sed ad aliquid solummodo sint, adveniant pereantque subjectis suis absque reali mutatione: verbi gratia, paries albus, alteri partiei albo fit similis & nigro dissimilis, procul ab omni mutatione.

CAPUT DECIMVM TERTIUM.

De Actione & Passione.

ACtio est actus agentis quatenus est agens, verbi gratia, calefactio est actus ignis calefientis, quatenus est calefaciens.

Actio est duplex, alia *Immanens*, alia *Emanans*. Actio immanens est *cujus terminus hoc est effectus, manet in agente quatenus est patiens*, hoc est in se recipiens terminum seu effectum suae actionis, verbi gratia, *cogitatio*, nam cogitatum seu idea rei intellectæ seu cogitatae, manet in mente. Unde sequitur intellectum simul esse agentem & patientem, agentem, quatenus vi suæ actionis ideam ab objecto exprimit, quæ idea expressa est; patientem vero quatenus ideam ab objecto expressam recipit, quæ idea impressa tunc appellatur. Actio Emanans est *cujus terminus seu effectus fluit seu manat ab Agente in patiens*, verbi gratia, calefactio.

Actio Emanans pro naturâ terminorum multiplici, ad multas species extenduntur, alia enim ad substantiam, & generatio: alia ad locum tendit & loci mutatio, appellatur.

Passio est *actus patientis quatenus est patiens*, ut vapulatio &c. Totidem species, quot actio habet, alia nempe *Immanens* est, alia vero *emanans*, alia est ad substantiam & corruptio, ut mors: alia ad quantitatem & passiva accretio; alia ad qualitatem & passiva alteratio, alia ad locum & loci mutatio passiva seu novi loci receptio, dici potest. Nec sane mirari subit.

Nempe actio & passio in vicem non differunt ut res à re, vel modus absolutus à modo, ut albedo & dulcedo in lacte: sed vero penes connotata externa tantum, nimirum unus idemque modus, actio est in habitudine ad agens, & passio in habitudine ad patiens, verbi gratia, aëris illuminatio in habitudine ad solem actio est, sed in habitudine ad aërem, passio, quippe agere, dare & conferre aliquid est, pati vero idemmet recipere. Non secus atque una & eadem via Leidensis est & Hagien sis; Leidensis quidem Leidam euntibus; Hagienis vero Hagam.

CAPUT DECIMVM QUARTUM.

De Ubi & Quando.

VBi non est locus, sed præsentia substantiae finitæ in loco. Multas habet species pro loco multiplici, nempe aliud est ubi externum; aliud ubi internum. Ubi externum est præsentia substantia finitæ in loco externo, verbi gratia, existentia Pauli Romæ, Jacobi Hierosolymis &c. Ubi internum est præsentia substantia finitæ in loco interno, seu spatio constanter occupato à qualibet corpore, citra ullam ad aliud corpus habitudinem, verbi gratia, si Deus omnia, uno excepto, corpora in nihilum redigeret, illud quidem corpus immensa Dei potentia permanens, in loco esset interno, non tamen in loco externo. Præterea aliud est ubi definitivum, aliud circumscriptivum. Ubi definitivum est præsentia substantia spiritualis finitæ in hoc definito loco, absque ulla

circumscriptione spatii extensi in longitudinem, latitudinem & profunditatem, verbi gratia, præsentia animæ rationalis & angeli in humano corpore. Ubi circumscriptum, est præsentia substantiae finitæ corporeæ, in loco circumscriptivo, quo sic undique circumscribitur, terminatur & continetur, ut pars loci seu spatii externi, parti locatae substantiae, & totum spatium ambiens, toti substantiae corporeæ circumscriptæ, exactè commensuretur.

Quando, non est tempus: sed præsentia substantiae naturalis & mobilis in tempore: ita percunctanti, quando floruit Chrysostomus? Respondetur quarto seculo.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

De Situ & Habitu.

Situs est ordo mutuus partium in toto. Multas habet species, *Situm internum, & externum, naturale, contra naturam & præter naturam seu voluntarium. Situs internum est ordo mutuus partium in toto absque habitudine ad situm partium alterius corporis, verbi gratia, situs membrorum in humano corpore. Situs externus est ordo mutuus partium totius in habitudine ad ordinem partium externi, verbi gratia, ordo mutuus partium manus in habitudine ad partes chirothecæ. Situs naturalis est ordo mutuus partium in toto juxta regulas & debitam tali rei constitutionem, verbi gratia, situs membrorum in corpore humano, in quo caput situm supremum, pedes infimum occupant. Situs contra naturam est ordo mutuus partium contra naturam, seu regulas & fines talis naturæ, verbi gratia, situs partium in monstribus, ut si oculus in media fronte apertus fuerit. Situs voluntarius est ordo mutuus partium in toto ex voluntate & libitu, ut sedere, stare, decussata habere brachia, manum contractam, flexa genua &c.*

Habitus est *circumpositio substantiae circa substantiam. Multas habet species, pro forma vestimentorum multiplici, ut togatum esse, palliatum esse, ocreatum esse &c.*

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

De universalis & prædicabili in genere, eorumque divisione.

Res in habitudine ad multa, quibus insunt, vel inesse possunt *universales* appellantur. Verum quia, quicquid reapse alicui inest de eo prædicari seu affirmari verè potest & debet. Hinc sponte sequitur quæcumque alii insunt, veldemum inesse possunt, & de illis prædicabilia esse. Una igitur & eadem metu res & universalis & prædicabilis est. Ergo ubi tle rebus spectatis in sese, quarum ideas in mente formamus, actum est, de iisdem quatenus alii insunt, vel attribuuntur, hoc est ut universales & prædicabiles sunt, nunc temporis ordine opportuno agendum nobis incumbit.

Aristoteles 7. Metaph. c. 13. *Universale finivit ὁ πλεῖστος ἡ οὐρανὸς πίσιν, quod est aptum natum inesse multis; ut animal, & homo. Prædicabile vero ὁ εἰπὲ πλεῖστος*

wiphone κατηγορίας, quod est aptum natum prædicari de multis. De Interp. c. 7. verbi gratia, animal, ut aptum est prædicari de homine & bruto.

Observa igitur Universale & prædicabile esse unum & idem, hoc est non distinguere, ut rem à re, sed ut rem à modo proprio & effectu suo, nempe prædicabilitas, modus & effectus est, universalitas.

Universale & prædicabile concreta sunt ex duobus, quorum alterum instar habet subiecti & materiae, quod Scholastici Universale materiale appellant, nimirum res, quæ ideam habet universalem & prædicabilem, verbi gratia, natura animalis & hominis: alterum instar habet formæ, quâ res universalis dicitur, quod Scholastici universale & prædicabile formale, vocant, verbi gratia, universalitas & prædicabilitas.

Universalitas est realis naturæ unitas & communicabilitas multis. Prædicabilitas est ejusdem naturæ realis unitas prædicanda de multis. Universale seu prædicabile geminum est; alterum essentiale, accidentarium alterum. Universale essentiale est Ens aptum natura sua inesse multis essentialiter, hoc est, ut ipsius natura seu essentia sit in natura & essentia multorum, verbi gratia, animal in habitudine ad hominem & brutum. Prædicabile essentiale est, Ens aptum natura sua prædicari essentialiter de multis, hoc est in responsione ad questionem quid rei est? ut animal in habitudine ad hominem & brutum, nempe quærenti, quid est homo? respondetur est animal &c.

Universale ut & prædicabile essentiale triplex omnino est, Genus, ut animal, Species infima, ut homo, & differentia specifica ut rationale esse, in habitudine ad hominem, speciem animalis.

Universale Accidentarium est, Ens aptum natum inesse multis accidentariis, hoc est extra essentiam & ideam essentiale eorum, quibus inest. Prædicabile accidentarium est, Ens aptum natum prædicari de multis accidentariis, hoc est in responsione ad questionem qualis, vel cuiusmodi res est.

Universale & prædicabile accidentarium geminum est, nempe proprium, ut divisibilitas in quantitate, & habere omnes lineas æquales à centro ad circumferentiam ductas, circuli proprietas est: Et Accidens commune, ut albedo in pariete, papyro, cærussa, nive &c.

Universale igitur quintuplex omnino est, nempus Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens. De quibus seorsim paucis differendum est.

CAPUT DECIMVM SEPTIMVM.

De Genere.

Genus est duplex perfectum & imperfectum, quod Neoterici vocant, genus analogum.

Genus Imperfectum Aristoteles vocat γένος ἡγεμόνιον τὸ φύσις genus ad unum & unam aliquam naturam, ut & γένος ἀρχή genus ab uno, 4. Metaph. c. 2. Finiri potest. Ens universale, quod multis speciebus convenit; sed uni proprie secundum nomen & essentiam, aliis vero improprie propter habitudinem, quam habent ad illud, vel ab

INSTITUTIONUM

ab illo uno, dependentiam, verbi gratia, Sanitas, nam proprie animalibus convenit, sed & arteriæ, urinæ, phlebotomiaæ, medicinæ, alimento, aëri, deambulatio- ni &c. impropriæ, propter, quam habent ad sanitatem hominis, habitudinem.

Genus perfectum, quod & synonimum appellatur, spectari potest bifariam, i. ut universale. 2. ut prædicabile.

Genus perfectum seu synonimum, ut universale finitur. *Natura apta nata inesse essentialiter multis specie differentibus, verbi gratia, animal in habitudine ad hominem & brutum.*

Genus Synonimum, ut prædicabile finitur, *natura apta nata prædicari de multis specie differentibus essentialiter, seu in responsione ad questionem quid est, verbi gratia, idemmet animal, quærenti enim quid est homo? respondetur est animal, quid est brutum? respondetur pariter est animal.*

Genus Synonimum est duplex *summum*, quod non habet supra se genus, verbi gratia Ens, & *subalternum*, quod in habitudine ad genus superiorius species est, sed in habitudine ad species inferiores est genus, verbi gratia *corpus* est species substantiæ, sed genus est in habitudine ad *corpus animatum*, & *inanimatum*; & triangulum figuræ species est, sed genus est in habitudine ad *Iosceles* & *Scalenum*.

CAPVT DECIMVM OCTAVUM.

De Specie.

NOn secus atque Genus, species gemina est, altera *Imperfecta*, altera *Perfecta*. Species imperfecta est *natura*, cui nomen generis *imperfecti* convenit propter dependentiam, quam habet ab uno, verbi gratia, urina & phlebotomia sana, imperfectæ species sani sunt, propter dependentiam, quam habent ab uno, scilicet ab homine sano.

Species perfecta seu Synonima duplex est, *subalterna altera*, quæ in habitudine ad rem cuius idea superior & magis communis est, species appellatur: sed in habitudine ad rem cuius idea inferior & minus communis est, genus dicitur, verbi gratia, brutum species subalterna est in habitudine ad animal: sed vero genus est in habitudine ad leonem, equum, bovem &c. Hæc autem species subalterna non est secundum universale seu prædicabile, quippe quæ, uti universalis & prædicabilis est, genus propriè dictum est. Supereft igitur altera species, quæ *infima* dicitur ejus enim idea, communis solummodo est multis singularibus seu individuis.

Species ergo *infima* spectata ut est universalis, est *natura apta inesse multis existentiis seu singularibus essentialiter*, ut homo in habitudine ad Petrum, & Paulum, & circulus in habitudine ad hunc, & illum circum. Species vero infima dicitur, quippe quæ in serie categorica infimum locum occupat, nec ulla habet species, sed singularia tantum, quibus essentialiter inest seu inesse potest.

Species infima spectata, ut est prædicabilis, est *natura apta nata prædicari de multis singularibus essentialiter*, hoc est in responsione ad questionem quid est? verbi gratia, homo in habitudine ad Petrum, nempe quærenti quid est Petrus? respondetur est homo &c.

CAPUT DECIMVM NONUM.

De Differentia.

Quicquid distinguit & unum ab alio differens constituit, differentia est & habetur. Verum unum ab aliis differt, vel per aliquid, quod in idea ipsius essentiali, ut primum momentum distinctionis comprehenditur, vel per aliquid, quod jacet extra essentiam & primum momentum distinctionis. Hinc gemina differentia nascitur, altera *essentialis & specifica*, altera *accidentaria*, eaque iterum duplex; altera *rei propria* seclusis aliis, altera *rei communis* cum aliis speciei diversae. Triplex itaque omnino differentia est, *Essentialis, ut: Est rationale; propria accidentaria;* ut esse disciplinæ capax. Et *accidentaria communis*; ut bipedem esse in homine. Sed enim differentia *Essentialis & specifica* tertium universale seu prædicabile est: differentia vero accidentaria propria, est *proprium seu 4. prædicabile*, differentia denique accidentaria communis, quintum prædicabile est, quod *accidens commune, vocatur.*

Differentia specifica à Genere & Specie differt hoc maxime nomine, quod *Genus & Species, Substantiae seu Essentialia sunt, & ideam rerum non modorum habent in mente, eti si enim modi reales hoc est accidentia, quatenus substantiae insunt, modi sunt non res, at tamen in habitudine ad sua inferiora, quibus essentialiter insunt, ut magis universale in minus universali, res seu essentiæ, non modi sunt, verbi gratia, figura eti si modus realis est corporis figurati, figura tamen in habitudine ad sua inferiora scilicet triangulum & quadrangulum, res seu essentia non modus est, & nomine substantivo non adjectivo de iis effertur.* Verum differentia specifica eti si in essentia speciei est, uti pars ipsius memorabilis, ideam tamen modi essentialis non substantiae habet, & nomine adjectivo & connotativo de specie, quam constituit, semper effertur, verbi gratia, *ratio rationale esse*, in homine, est princeps pars essentiæ hominis, sed tamen ideam modi habet in mente, & de homine effertur, ut nomen connotativum, dicimus enim homo est animal rationale, vel homo est rationalis. Differentia:gitur specifica, quæ tertium prædicabile est, cum proprio & accidente communi convenit, quod ideam modi habet & objectum representat uti rem modo determinatam & nomine connotativo effertur, verbi gratia, rationale, extensum &c. Sed vero differt ab utroque 1. quia modus realis non est sicut proprium & accidens. 2. quia primum est momentum seu attributum essentialiale speciei, quo species à ceteris essentiali discrimine separatur. Proprium vero eti si ad essentiam rei pertinet, non primum tamen est in essentia rei momentum, sed secundum & velut primi appendix quedam, quæ primo agnascitur uti pullus arbori, verbi gratia, divisibile esse in substantia corporea.

Differentia specifica habitudinem geminam habet, alteram quidem ad genus, quod dividit & ad certam quandam speciem determinat; alteram ad Speciem, quam format, & separat ab aliis quibusque ejusdem generis, speciebus, verbi gratia, *extensum esse*, substantiam dividit & ad speciem nempe *corpus* determinat; sed & *corpus* seu substantiam corpoream format & essentialiter à spiritu, altera substantiaz

Spe-

Specie, separat. Hinc sequitur 1. differentiam Specificam rem esse, cuius idea essentialis extra ideam generis est; sed ei superadditur ad speciem simul constitutam. 2. Differentiam principem esse speciei partem, quippe eam constituit & facit esse rem ab aliis speciebus distinctam. 3. Esse quid reapse distinctum à genere, secus enim nihil reapse foret in essentia speciei, quod non foret in essentia generis. 4. Differentiam minus patere quam genus, sed æque atque speciem, quam constituit, ut mutuo reciprocantur, verbi gratia, extensum esse, minus extenditur quam substantia; sed æque atque corpus patet, ut de se invicem universaliter prædicentur: nam omne corpus est extensum, & omne extensum est corpus.

Differentia igitur specifica ut universalis, est natura communis apta dividere genus, & constituere speciem eamque à quavis alia specie distinguere, ipsique omnibus que inferioribus ejus essentialiter inesse, verbi gratia, rationale esse, extensum esse &c.

Differentia specifica ut prædicabilis, est natura apta dividere genus, & constituere speciem eamque distinguere & simul de ea deque ipsis inferioribus essentialiter prædicari, verbi gratia, rationale esse, extensum esse &c.

Differentia specifica, gemina est, pro gemina specie quam constituit, altera subalterna, quæ speciem subalternam constituit, verbi gratia, sensitivum esse, in habitu ad animal: altera infima, quæ speciem infimam constituit, verbi gratia, rationale esse in homine.

Observeate hic juvat, differentiarum specificarum, alteram non raro per negotiationem alterius efferti, non quod reapse mera negatio sit: sed quod nos plane lateat, verbi gratia, substantia dividitur per, corporeum & incorporeum esse. Et animal, per, rationale & irrationale esse, & incorporeum, spiritum alteram substantiam speciem constituit & irrationaliter brutum, alteram animalis speciem, non quidem quod mera negatio pars rei essentialis sit aut jure haberi possit, sed quia vicem subit partis positivæ & essentialis speciei, quæ nos latet, illa igitur momentosa speciei pars, per remotionem partis seu differentiae oppositæ speciei effertur, ut dicimus Deum esse infinitum; Et ubi finem & terminum perfectionis abs Numine removemus, summam ipsius perfectionem significamus, non secus atque dum extensionem removemus à spiritu, summam ipsius dotem significamus, qua abs corpore seu substantia corporea distaminatur.

C A P U T V I C E S I M V M.

De Proprio.

Proprium dicitur, quicquid singulari modo subiecto convenit, ut aliis non ita convenire possit. Modus autem istiusmodi quadrifariam subiecto convenire potest: nam 1. aliud omni quidem subiecto convenit, sed non soli, ut bipedem esse omni homini modo singulari, quo differt à quadrupedibus, convenit; sed non soli, nam & volucres sunt bipedes. Atque hic modus proprium primo modo, appellatur. 2. modus est, qui subiecto soli convenit: sed non omni, ut Medicum & Geometram esse, soli homini modo singulari convenit, quo ab aliis hominibus seceruntur, sed vero

vero non omni homini convenit esse medico. Atque hic modus, proprium *secundo modo*, vocatur 3. modus est, qui subiecto quidem omni & soli convenit, sed non semper, ut beata immortalitas omni & soli corpori fidelium convenit, sed non semper, sed in futuro beati seculi post resurrectionem, complemento. Atque hic modus, proprium *tertio modo* dicitur. 4. denique modus est, qui *omni, soli, & semper* subiecto convenit & cum eo reciprocatur, verbi gratia, æquales habere ductas à centro ad circumferentiam lineas, omni soli & semper circulo convenient. Atque hic modus, proprium *quarto modo* est, & quartum universale seu prædicabile constituit, cætera vero propria, modi communes, seu accidentia communia sunt & ad quintum universale, seu prædicabile alegantur.

Proprium quarto modo mens humana rem sedulo intuita, nanciscitur, ubi videt, modum aliquem immediate fluere à primo attributo, seu differentia rei specifica, uti secundum & necessarium rei momentum, verbi gratia, ubi intueor substantiam corpoream, mea mens cernit extensionem esse princeps ipsius attributum, quo substantia corporea constituitur & à substantia spirituali distinguitur: sed illico deprehendit divisibilitatem ab extensione substantiæ immediate & necessariò fluere, ut divisibile esse omni, soli & semper substantiæ extensæ, competit, & cum ea reciprocetur, nam omnis substantia extensa est divisibilis, & omne divisibile, est substantia extensa.

Proprium igitur quarto modo ut universale, est modus *realis*, qui *aptus est inesse soli & semper subiecto cui proprius est & omnibus inferioribus ejus*, verbi gratia, disciplinæ capacitas in homine.

Proprium quarto modo ut prædicabile, est modus *realis*, qui ut inesse soli & semper subiecto & omnibus inferioribus, ita de solo & semper subiecto & omnibus inferioribus ejus prædicari aptus est, atque adeo cum ipso subiecto reciprocari, verbi gratia, disciplinæ capacitas in habitudine ad hominem.

Ea reciprocari dicuntur, quæ de se invicem universaliter affirmantur: Sed vero reciprocari contingit bifariam; nempe quadam in casu recto reciprocantur, ut differentia specifica & proprium, verbi gratia, omnis homo est disciplinæ capax, & omne disciplinæ capax est homo. Alia vero in casu obliquo solummodo reciprocantur ut relata, verbi gratia, omnis pater est filii pater, & omnis filius est patris filius.

Proprium quarto modo est duplex, alterum *genericum*, nempe cuius subiectum est genus seu species subalterna, verbi gratia, divisibile esse in substantia extensa; alterum *speciale*, nempe cuius subiectum est species infima, verbi gratia, habere lineas æquales à centro ad circumferentiam ductas, proprietas specialis est circuli, qui species infima est.

Observa proprietatem contineri quidem confusè in idea rei essentiali, sed non distinctè, verbi gratia, ubi mente percipio substantiam extensam, ideam habeo substantiæ corporeæ essentialiem, & substantiam percipio, quæ necessario divisibilis est: attamen substantiam quatenus est divisibilis, non percipio. Differunt itaque differentia specifica & proprietas, quia differentia specifica distinctè comprehenditur in idea, quæ rei essentiali repræsentat: sed vero proprietas non comprehenditur distinctè in idea rei essentiali, quippe res potest essentialiter concipi, non concepta distinctè ipsius proprietate.

CAPUT VICESIMUM PRIMUM.

De Accidente Communi.

Modus, qui subiecto ita inest ut non uni speciei ejusque singularibus; sed pluribus speciebus earumque singularibus inesse & communicari possit, modus communis, seu commune accidens appellatur, verbi gratia, albedo, quæ nivi, cerusæ, papyro, calci, olori &c. inest: Et Porphyrio finitur, *quod ad est & ab est à subiecto sine subiecti interitu.* Præsentiam & absentiam non realem; sed mentalem intelligit, & interitum non physicum; sed metaphysicum, qui contradicitione est. Sed vero absentia mentalis est duplex, *simplex & complexa.* Absentia mentalis simplex est non consideratio, seu præterito mentalis, quod enim in subiecto mens haud considerat, abesse dicitur absentia mentali. Absentia mentalis complexa est negatio unius de alio, ut ubi concipio corvum non esse nigrum. Sensus itaque Porphyrianæ finitionis est. Accidens commune est, quod potest concipi esse in subiecto, & non concipi in subiecto, affirmari & negari de subiecto, absque ulla contradictione.

Observa accidens tum proprium tum commune spectari posse bifariam 1. ut res seu essentias, quæ suis modis seu proprietatibus vestiuntur siisque inferioribus insunt essentialiter. 2. in habitudine ad rem seu substantiam cui insunt, ut cum ea complexum aliquid seu concretum ex re & modo constituant. Primo modo si spectentur, genera sunt, vel species, vel differentiae specificæ, in seriebus categoricis accidentium & nomine substantivo seu absoluto efferuntur, verbi gratia, color, albedo, nigredo, prudentia, justitia &c. tunc vero habitudo ad substantiam necessaria, illorum essentia est. Verum si secundo modo considerentur, tunc vel propria, vel accidentia communia sunt & quartum, quintumve prædicabile constituunt & nomine adjectivo seu connotativo significantur, quippe duo significant nempe rem directè; sed confusè, & modum indirectè & ex consequenti; sed clarè, ut album, justum &c. sed vero tunc realis inherentia seu inexistentia in subiecto eorum essentia est, ut nec esse nec concipi quidem ulla. vi ulla ratione possint absque illa reali & actuali in subiecto inherentia.

Accidens Commune ut Universale, est modus realis aptus natus inesse accidentiaris multis genere, specie & singularitate differentibus, verbi gratia, albedo, justitia, prudentia &c. in substantiis albis, justis & prudentibus.

Accidens Commune ut Prædicabile, Est modus realis aptus natus, prædicari de multis genere, specie, & singularitate differentibus: ut ipsam albedo, de multis substantiis albis.

Observare hic operæ præmium est, quod intercedit discrimen proprietates quarto modo inter, & accidentia communia, nempe proprietates primum & per se generibus & speciebus insunt, ut & de iis prædicantur. ex consequenti vero & per aliud individuis insunt & de iisdem prædicantur, verbi gratia, divisibilitas primum extensioni competit & ex consequenti huic & illi extensioni, nam hæc substantia extensa, est divisibilis, quia substantia extensa est divisibilis, & Petrus est disciplinæ ca-

pax, quia homo est capax disciplinæ. Contra vero accidentia communia primùm & per se singularibus insunt, & ex consequenti & propter singularia, universalibus subiectis, verbi gratia, homo est albus & justus, quia Callias est albus & Petrus est justus.

Accidens Commune est duplex: alterum est modus realis substancialis, hoc est qui substantia reapse est, verbi gratia, pallium, & accidens *Logicum* seu *prædicabile* discriminis ergo vocatur; nempe Logica accidens commune vocat, quicquid accidentario multis singularibus competit, sive inhæret sive non: alterum est modus realis, qui reapse substantiæ inhæret & Accidens *Physicum* appellatur, nempe Physica rerum modos considerat quatenus corpori naturali reapse insunt. Hinc liquet accidens *prædicabile* latius patere accidente naturali. Nempe omne accidens naturale prædicari potest de subiecto; sed vero omne accidens *prædicabile* non est accidens naturale, nam pallium hominis accidens est & de homine accidentario prædicatur, attamen pallium non est accidens naturale, quia non inhæret palliato homini, & reapse substantia est.

CAPUT VICESIMUM SECUNDUM.

De Homonymis seu Äquivocis.

Ex generibus & speciebus imperfectis, Homonyma fiunt quotquot eorum ideam utcumque communem habent: fed contra ex generibus & speciebus perfectis, Synonyma sunt, quotquot eorum ex æquo communem habent. Denique ex modis seu accidentibus & rebus seu substantiis, quibus modi insunt paronyma seu concreta conflantur. Age igitur de Homonymis primū, mox de Synonymis & paronymis pauca sed scitu digna edifferamus.

Græcis ὁμώνυμα, Latinis verò Äquivoca sunt, *quorum nomen est commune, finitio verò juxta nomen illud est diversa*, ut canis terrestris, canis marinus & canis cœlestis.

Homonyma gemina sunt, alia quidem à casu; alia à consilio. Homonyma à casu sunt, *quorum unum nomen commune est casu & fortuitò*. Ut Gallus homo, & Gallus avis. Homonyma à consilio sunt, *quorum nomen commune est non casu; sed ratione & consilio*.

Homonyma à consilio omnino gemina sunt, alia quidem propter dependentiam ab uno, vel relationem ad id unum; alia propter rationum similitudinem, quam Graci ἀναλογία dixerunt.

Homonyma à consilio propter dependentiam ab uno sunt, *quorum nomen est commune propter dependentiam ab eorum uno & relationem ad id unum*, ut medicina sana, arteria sana, aëris & cibus sanus; homonyma à consilio sunt propter dependentiam ab homine sano, & relationem ad eum.

Homonyma à consilio propter similitudinem sunt, *quorum nomen est commune propter similitudinem rationum*, utes montis, pes mensæ &c. Similitudo rationum Græcis ἀναλογία, ut maximi momenti est & usus frequentissimi apud poëtas, oratores, historicos, & libros sacros, comprimis ubi agitur de natura typorum, alle-

INSTITUTIONUM

goriarum, & sacramentorum, paucis explicanda incumbit. Αναλογία δέ τις λέγεται νόμον habet, λόγος vero apud Geometras est habitudo unius quantitatis ad alteram: sed vero ἀναλογία multas rationes complectitur & Euclide finente est πάντα λόγοι εἰσι. Similitudo rationum. Sed enim λόγος ratio quævis, inter duos terminos est. Unde sequitur ἀναλογία, quæ similitudo rationum est, ut minimum intra quatuor terminos semper versati, quorum primus ita se habet ad secundum, ut tertius ad quartum, verbi gratia, ut se habent duo ad quatuor, ita se habent octo ad sexdecim, hic enim rationum similitudinem seu proportionem cernere est; ut enim duo, dimidia pars quatuor sunt, pariter & octo, dimidia pars sexdecim sunt. Hæc ἀναλογία in typis & sacramentis perpetuo viget, verbi gratia, ut se habet panis fractus, acceptus & manducatus ad vitam animalem roborandam & conservandam, ita se habet corpus Christi fractum pro nobis, fide acceptum & manducatum, ad vitam spiritualem roborandam & conservandam: hic habes quatuor terminos. 1. panem fractum, acceptum & manducatum. 2. vitam animalem roborandam & conservandam. 3. corpus Christi fractum, fide acceptum & manducatum. 4. vitam spiritualem roborandam & conservandam. Idem esto judicium de vino Eucharistico effuso & hausto ad fidem restinguendam & vitam animalem roborandam, & sanguine Christi effuso & fide hausto, ad fidem justitiae spiritualem restinguendam & vitam novi hominis fovendam & robore novo donandam. Hinc factum, ut panis Eucharisticus de nomine corporis Christi censeatur, & vinum Eucharisticum sanguis Christi appetetur & denuo omnia signa sacra nomen rerum significatarum plerumque induant; Sunt igitur homonyma à consilio propter similitudinem rationum. Unde Augustinus Epist. 23, ad Bonifacium. *Si sacramenta, inquit, quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt non haberent, oratione sacramenta non essent.* Ex hac autem similitudine, plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt: sicut ergo secundum quemdam modum, sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est, ita sacramentum fidei, fides est.

CAPUT VICESIMUM TERTIUM.

De Synonymis seu Univocis.

Genera quævis perfecta, sicut & perfectæ species, ideam habent esse entiale, omnibus, quibus insunt ex æquo communem. Unde fit ut species perfectorum generum, & singularia perfectarum itidem specierum, οὐράνια Græcis, Latinis Univoca, appellantur.

Synonyma igitur sunt, quorum nomen est commune & finitio secundum illud nomen eadem. Ut homo, leo, equus &c. habent nempe nomen commune animal, & finitionem juxta nomen hujusmodi eamdem, nam homo, leo & equus, ex æquo sunt, corpus vivens sensitivum. Non secus & singulares homines Petrus, Paulus &c. Synonyma sunt, habent enim idem nomen commune homo, & eamdem juxta id nominis finitionem seu essentiam, Petrus enim & Paulus ex æquo sunt animal ratione præditum. Uno verbo inferiora quævis in serie Categorica, Synonyma sunt in habitudine ad sua superiora, quippe quæ ideam esse entiale superiorum communem habent

habent ex aequo. Verum si Synonyma spectentur secundum ideam suam essentiali-
lem propriam, qua ab aliis separantur discrimine essentiali, hac demum ratione
haudquam Synonyma sunt, nam & nomen diversum induunt & finitionem seu
essentialiam longe diversam, verbi gratia, homo & leo, et si nomen & essentialiam ani-
malis communem habent, ubi spectantur juxta suam ideam propriam & essentialia-
lem, qua differentia specifica separantur, diversa habent, nempe hominis & leonis
nomina, & diversam pariter ideam & finitionem essentialiem, nam homo animal ra-
tionale est, leo vero irrationale & rugiens animal.

CAPVT VICESIMVM QUARTVM.

De Paronymis seu Concretis.

Sicut res seu essentialiae prout aliis essentialiter insunt, ut ideameorum essentialiem
ingrediantur, Synonyma constituunt inferiora sua & minus universalia. Ita &
modi seu accidentia prout res seu substantias afficiunt, Paronyma seu concreta con-
stituunt.

Paronyma igitur seu concreta sunt, quae ab alio appellationem habent & nomine
adjectivo seu connotativo efferuntur, ut justum, justè, album, prudens, pruden-
ter &c.

Quotquot itaque paronyma seu concreta sunt, ex duobus semper coalescunt,
nempe ex re & modo. Res seu substantia & materia dicuntur, quippe instar habet
materialia seu subjecti recipientis; modus vero & formale appellatur, nimis formæ
adinstar est, quippe qui subjectum seu rem informat, determinat facitque tali
modo se habere, verbi gratia, *justum*, ex duobus coalescit, nempe ex homine, qui
iustitiam possidet & ex iustitia, qua perficitur, informatur, & determinatur.

Paronyma geminâ sunt, alia concrescent ex substantia & modo ipsi inexistente,
ut prudens, justus &c. alia vero coalescent ex re & modo externo rei ipsi non in-
haerente, sive modus ille sit substantia; ut palliatus, ocreatus; sive externa denomina-
tio ab actione aut parte externâ rei, verbi gratia, *visum* & *dextrum* esse in pa-
riete.

Verum cum concreta quævis duo simul consignificant; nempe rem & modum si-
mul, non eodem modo utrumque significant: nam substantiam seu rem primum, sed
confusè significant, modum secundo; sed clare atque distinctè, verbi gratia, *album*
audio, primum substantiam percipio, sed nondum scio distinctè, quænam
illa substantia sit nix, papyrus &c. secundo albedinem: sed clare & distinctè percipio,
nihil de ipsa dubius, ubi distinctè non percipio rem ipsam, quæ nomine *albi*, signi-
ficatur.

D 3 INSTI-

INSTITUTIONUM LOGICARUM

P A R S S E C U N D A,

De Judicio composito, seu complexa mentis operatione, quae plures rerum modorumve ideas conjungit affirmando, vel disjungit negando;

H O C E S T

DE ENUNTIATIONE SEU PROPOSITIONE.

C A P V T P R I M V M.

*De essentia Propositionis mentalis & vocalis
in genere.*



Ens hominum, ubi ad res apprime cognoscendas & ab aliis discernendas appellit, variis rerum modorumve ideis informata, ideas illas dum contendit invicem, convenire inter se sese judicat, hoc est alteram in altera contineri, atque hoc mentis judicium *affirmatio* est seu *propositio affirmans*; vel non convenire inter se, hoc est alteram in altera non contineri; atque hoc mentis judicium *negatio* est; seu *propositio negans*, verbi gratia, ubi mens mea informatur idea animalis & idea hominis, judicat ideam animalis contineri in idea hominis, atque adeo pronuntiat affirmando, hominem esse animal. Pariter ubi mens mea informatur idea sapientiae, & idea Dei, judicat ideam sapientiae contineri in idea Dei, atque adeo pronuntiat affirmando, Deum esse Sapientem. Contrà vero mens informata idea hominis & idea lapidis, idea Dei & idea iniquitatis, ubi ideas illas contendit invicem, judicat ideam lapidis non contineri in idea hominis, & ideam iniquitatis non contineri in idea Dei; atque hujusmodi judicium negatio est seu propositio mentalis negans, nempe mens mea pronuntiat hominem, non esse lapidem, & Deum non esse iniquum. Et si res mihi sit cum aliis, has omnes propositiones mentales, vocalibus propositionibus iis significo hunc modo, homo est animal, Deus est Sapiens, homo non est lapis, Deus non est iniquus. Unde propositio finiri potest, *oratio mentalis*, vel *vocalis significans aliquid inesse, vel non inesse, convenire alteri, vel non convenire*.

Hinc sequitur quamlibet propositionem ex duobus ut minimum terminis effoscere, quorum unum affirmatur vel negatur de alio. Id de quo aliud affirmatur vel negatur subjectum propositionis dicitur, quod vero affirmatur vel negatur *attributum*, vel *praedicatum* appellatur.

Hic

Hic vero observare operæ prætium est. 1. aliquando subjectum & attributum propositionis pluribus & distinctis terminis significari, ut in hac propositione, *Deus non potest mentiri*, *Deus non potest seipsum abnegare*, aliquando vero uno termino integrum propositionem contineri; nempe homines sermonis brevitati non raro student, ut dum mente vel voce pronuntio *sum, amo, & Cæsar*, ubi tria hæc verba protulit *veni, vidi, vici*. Sed vero hujusmodi propositiones abbreviatæ, resolvuntur in has. *Ego sum existens, ego sum amans, ego fui veniens, ego fui videns, ego fui umbras*. 2. in propositionibus quidquid præcedit non semper esse subjectum & quicquid sequitur non semper esse prædicatum, secus enim non raro se res habet, idcirco potius ad rem & sensum propositionis, quam ad ordinem seriemque verborum, comprimis attendendum est, ut in hisce propositionibus.

Non bene convenienti, nec in una sede morantur

Majestas & amor

Majestas & amor, subjectum propositionis, cætera prædicatum sunt.

Sperat insuffis, metuit secundis

Alteram sortem, bene præparatum.

Pectus.

Pectus bene præparatum, et si in serie sermonis ultimum est, subjectum tamen propositionis Lyrici poëta est, cætera vero ut prima, prædicatum tamen ipsius sunt. Quamobrem semper simul ad id quod affirmatur vel negatur, simul ad id de quo affirmatur vel negatur attendas oportet, ut hoc subjectum, illud vero prædicatum, nihil cunctatus, dixeris. Hanc recti judicii regulam, quia non oppido pauci concessionares negligunt, dum factos textus explicant à primis verbis expositionem exorsi, et si non raro prædicatum sunt, cæcam pariunt auditoribus confusionem, & in redundantes, inutiles & ingratas repetitiones incident.

Itaque propositio quævis ex duobus coalescit, quorum alterum *materia* est; nempe subjectum & prædicatum: alterum vero *forma* nempe legitima dispositio subjecti & prædicati, per medium copulam verbalem *Est*, expressam vel latenter, verbi gratia, in hac propositione *homo est musicus*, homo & musicus sunt ipsius materies, sed vero dispositio, qua musicum esse, affirmatur de homine, hoc est in mente cum homine connectitur per medium copulam *est*, forma propositionis est legitima; sed vero si secus mens judicaret & pronuntiaret, nempe *musicus est homo*, hujusmodi dispositio, illegitima foret propositionis seu judicii forma.

Observa igitur ut legitima sit subjecti & prædicati dispositio, necesse esse, ut mens de rebus judicet prout sunt, quippe mens judicando de rebus, non facit res esse, quales esse judicat, nempe ante quodlibet mentis judicium res sunt; & mens circa eas percipiendas tantu versatur, ut veris earam ideis fidei speculi ad instar imbuatur & informetur. Quod Numen æternum significasse videtur, dum omnia condidit ante hominem. Is enim, ut veris rerum omnium, creatoris & creaturarum ideis, imbueretur, in vastum orbis theatrum productus est. Mens vero rectum habebit de rebus judicium, si intra regulas istas sece continuerit. 1. ut quod extra mentem & reapse continet alterum, sit in judicio seu propositione mentis *subjectum*, contra vero, quod extra mentem & reapse continetur in alio, sit in judicio seu mentis propositione, *attributum*. 2. quod ex prima regula fluit, ut minus universale quodque minus late-

pate-

INSTITUTIONUM

patet sit in mentis judicio subjectum, magis vero universale, quodque patet latius attributum: nempe quia rei minus universalis idea continet rei magis universalis ideam, ut homo ideam animalis; sed contra magis universalis idea non continet ideam minus universalis; ut animal non habet in se ideam hominis, secus enim quicquid ideam animalis contineret ut leo, ideam haberet hominis; atque adeo leo faret homo. 3. necesse est ut subjectum & attributum et si amicè cohærent, reapse tamen distinguantur, nempe idem reapse & omnimodè haudquam est continens & contentum, recipiens & receptum, denique idem sibi ipsi cohærente nequit & connecti, nempe copulatio seu communio multitudinem aliquam necessario connotat, unum vero quatenus unum plura esse non potest, & à seipso distinctum. Hocce reale discrimen subjectum inter & attributum cernere est, vel in iis, quæ reciprocantur, ut homo & rationale, cæteraque quotquot sunt species & differentiae ipsarum specificæ, nam principium ratio cinandi, seu cogitandi, quo homo essentiali discrimine abs bruto distinguitur, in ideæ sua comprehensione, non continet substantiam extensam & sensitivam, quæ in idea hominis, præter substantiam cogitantem seu principium ratio cinandi, continetur. Hinc sequitur 1. propositiones quas vocant *identicas*, quibus idem affirmatur de seipso, ut Petrus est Petrus, non esse propositiones seu legitima mentis judicia, quandoquidem omne mentis judicium significat aliquid inesse, vel non inesse subjecto: sed idem sibi ipsi inesse hanc potest. Hinc sequitur 2. orationes quibus aliquid imperatur: ut

Vade, age nate, voca Zephyros & labere pennis.

Et isthanc Dei optimi max. ad Abrahamum, *Asum nunc filium tuum, unicum tuum, quem diligis Isaacum & abi in regionem Moriæ & offer eum ibi in holocaustum Gen. 22.2.* Item orationes, quibus aliquid deprecamur, ut

Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis.

vel quibus, aliquid optatur, ut

O mihi præteritos referat si Jupiter annos.

Non esse propositiones, nempe earum nullæ significant aliquid inesse, vel non inesse subjecto, earum nullæ verum aut falsum significant, nullæ denique earum judicium mentis sunt, quo pronuntiet aliquid inesse, aut non inesse alicui.

Subjectum propositionis est semper nomen, attributum vero verbum, quia semper includit verbum est, vel non est, quo subjecto conjungitur, vel disjungitur.

Nomen est vox finita & recta ex instituto significans sine tempore, ut animal. Verbum est vox ex instituto significans cum tempore. Vox est sonus ab ore animalis prolatus. Vox finita dicitur, quæ rem unam definitè significat; vox vero infinita est, cui præfigitur nota negandi, ut non homo, non animal, & infinita quidem dicitur, quippe infinita significat & rebus omnibus tribui potest, excepto suo finito: nam non homo tribui vere potest rebus omnibus, excepto uno homine. Quicquid significat signum est; Signum autem Augustino finiente 2. de principiis Dialect. c. 5. est, quod se ipsum sensui & præter se aliquid animo offendit. Et lib. 2. de Doct. Christiana c. 1. Signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire. Signum duplex in totum est, Naturale alterum, alterum ex instituto. Signum naturale est, quod suapte natura præter suam speciem, quam ingerit sensibus, facit aliud aliquid in nostram cogitationem venire, ut fumus, & impressum solo vestigium,

glum, flores, aurora &c. Signum ex instituto est, quod præter suam speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud; non sive natura; sed ex instituto naturæ intelligentis, in nostram cogitationem venire, ut sonus campanæ, signum concionis est, & ramus appensus, signum vini venalis. Signa naturalia idem semper & apud omnes significant, signa vero instituta, neque semper, neque idem apud omnes significant. Signa ex instituto gemina sunt, alia quidem ex instituto Numinis, ut iris instituta in signum futuri nunquam diluvii, & circumcisio instituta in signum nascituri benedicti semenis, & cordis expurgandi cordibus peccati; & omnia quotquot Deus instituit sacramenta; alia vero signa sunt ex instituto hominis, atque ejusmodi signa sunt linguae variae, quibus variae nationes utuntur ad colendam inter se mutuam societatem. Nomen igitur, verbum & integra demum vocalis propositio, qua unum de alio affirmamus vel negamus, signum est ex instituto, significans internum mentis judicium, quo plures rerum modorumque ideas conjungimus, vel disjungimus.

CAPUT SECUNDUM.

De speciebus Propositionis, consideratæ secundum materiam.

Propositio trifariam spectari potest. 1. secundum materiam 2. juxta quantitatem. 3. secundum qualitatem.

Propositionis materies subjectum est & attributum. Juxta hanc materiam propositio dividitur in quatuor species: nempe in propositionem *necessariam, impossibilem, contingente posibilem.*

Propositio necessaria est, *cujus attributum subjecto necessario inest*, hoc est, ita inest, ut nulla vi, nulla ratione possit non inesse, nempe, necessarium est, quod non potest alter atque alter se habere: unde sequitur attributum necessariò inesse, quod non potest non inesse subjecto. Attributum autem subjecto inesse potest necessariò trifariam. 1. Cum attributum, seu ipsius idea comprehenditur in idea essentiali subjecti, ut sine eo essentialis subjecti idea consistere nequeat. Atque hoc modo genus & differentia specifica, speciei necessariò insunt, & species pariter suis singularibus inest necessariò, quod Philosophi vocant convenire *necessariò primo modo per se*: hujus commatis sunt sequentes propositiones: homo est animal, homo est rationalis. 2. attributum subjecto inest & convenit necessariò, ubi, et si in idea essentiali subjecti non comprehenditur, oritur tamen, fluitque necessariò ab essentia subjecti. Atque hoc modo omnes proprietates quarto modo, subjectis necessariò insunt: hujus commatis sunt hæc propositiones: quantitas est divisibilis, quodlibet ens verum est, circulus est figura cuius omnes lineæ ductæ à centro ad circumferentiam sunt æquales, &c. Atque hoc Philosophi vocant, *necessariò convenire secundo modo per se*. 3. attributum subjecto inesse seu convenire potest necessariò, necessitate quam vocant, *hypotheticam* seu *ex suppositione*, nempe ubi attributum nec est in essentia subjecti, nec fluit ab ea necessariò; subjecto tamen ita convenit, ut non possit non convenire factâ aliquâ suppositione: hujus commatis sunt hæc propositiones: ossa Christi non erant fragilia, Petrus existit, &c. nempe *ex suppositione decreti Dei*, non

INSTITUTIONUM:

per se & natura sua, ossa Christi, non erant fragilia, & existentia, creaturæ necessariò convenit, non per se; sed ex suppositione, quod creatura existat.

Propositio impossibilis est, *cujus attributum subiecto inesse, vel convenire haud quam potest*: nempe quia discohærentia irreconciliabilis est, naturam intersubjecti & attributi, ut: homo est lapis, unum corpus est simul in pluribus locis, &c. Hinc sequitur propositiones, quarum attributum naturam & ideam habet omnino diversam à natura & idea subiecti, omnes esse impossibiles, vel falsas, vel figuratas fuerint affirmantes, ut: panis est corpus Christi, Petra erat Christus, nempe simul Christus, simul corpus Christi, naturam & ideam essentialiæ habent à pane & petra plane diversam, sunt igitur illæ propositiones impossibiles, vel falsæ, vel figuratae. Hoc vidit & fassus est Cardinalis Bellarminus, lib. 1. de Euchar. cap. 11. dum infit, *in exemplis allatis semper prædicatur de disparato disparatum: ut patet ex illis: boves sunt anni, semen est verbum, Christus est vitæ, &c. in his enim cum nullo modo posse fieri ut illa propriètate sint vera, cogimur necessariò recurrere ad tropos*. At enim ipse Bellarminus ait Dominum dixisse de pane Eucharistia, hoc est corpus meum, de Euchar. lib. 2. cap. 24. panis vero est quid disparatum, hoc est, diversum à corpore Christi: unde sequitur, hanc propositionem, *hoc est corpus meum, esse figuratum*, quia non est falsa: est enim propositio Christi, qui ipsamet veritas est.

Pro gemino Impossibili, gemina quoque est Propositio impossibilis: altera *impossibilis absolute*, nempe cuius attributum nulla vi, nulla ratione subiecto inesse aut convenire potest ob naturalem & essentialiæ discohærentiam subiecti & attributi, ut: Deus mentitur, Deus abnegat seipsum, Diameter est commensurabilis, &c. altera est *impossibilis secundum quid*, cuius attributum subiecto non potest inesse aut convenire, secundum quid tantum, ut: navis est Tiberi dimovenda, caro se subiectit legi Dei, peccator credit, &c. nempe attributum harum & ejusmodi propositionum, subiecto inesse non potest, non quidem, quod ejus essentialiæ idea nulla ratione idæ subiecti inesse aut convenire valeat, propter aliquâ contradictionem, hinc necessariò oriundam: sed vero secundum quid, nimur vel κατὰ δυάμοις ἔπειθαι, quomodo navis, Romanorum vitibus Tiberi dimoveri non poterat, vel ob inabilitatem cordis humani malitiam, quomodo Judæi non poterant credere, Joan. 12: 39. & caro non potest subiecere fæse legi divinæ, Rom. 8: 7.

Propositio Contingens est, *cujus attributum subiecto ita convenit, ut potuerit non convenire, vel non convenit, ut convenire tamen possit*, ut: cras pluet, Petrus est Philosophus, &c.

Propositio possibilis est, *cujus attributum subiecto non convenit, ita tamen, ut possit convenire, ut mundus est denarius, nempe denaria multitudo, et si mundo non convenit, potest tamen convenire, scilicet nulla est naturalis discohærentia, mundum inter & denarium numerum*.

Ex propositionibus Necessariis necessitate comprimis absoluta, conflantur demonstrationes *διὸν, cur sit*, quibus gignitur scientia.

Ex propositionibus Impossibilibus, quippe earum omnes affirmantes falsa sunt, & earum negantes veræ, conflantur syllogismi negantes, seu thesin propositam revertentes.

Ex propositionibus Contingentibus & Possibilibus conficiuntur Syllogismi, quos vocant

Vocant *opinabiles*, quibus gignitur opinio, quæ non est plena veritatis persuasio; sed semiplenus assensus, conjunctus cum aliqua erroris formidine, nempe qui opinatur, et si magis in hanc quam in illam propendet sententiam; in illam tamen non trahitur pleno animi assensu, qui vel minimam umbram dubitationis arcit ab animo nostro.

CAPUT TERTIUM.

De definitione.

Definitio & divisio, propositiones usus simul necessarii, simul frequentissimi in Scientiis, pariunt, ex vero ad propositiones spectatas secundum materiam comprimis spectare videntur, nempe si finitio exacta fuerit, propositionem parit necessariam, ut, homo est animal rationale, triangulum est figura, quæ habet tres angulos pares duobus rectis: Si vero descriptio fuerit per proprietatem quarto modo, propositionem fundit pariter necessariam secundo gradu necessitatis, ut, circulus est figura cujus omnes lineaæ à centro ad circumferentiam sunt æquales; deniq; si descriptio fuerit per modos accidentarios eiusmodi sunt forma, color, odor &c. propositionis est in materia contingente. Idem esto judicium divisionis, nempe si genus in suas species, vel per suas differentias divisum fuerit, propositionem fundit necessariam, ut omnis substantia est corpus vel spiritus; omnis propositionis est vera vel falsa; omnis numerus est par vel impar &c. sed vero si subjectum in suos modos accidentarios divisum fuerit, propositionem fundit contingentem, ut omne corpus movetur, vel quiescit, omnis homo est doctus vel ignarus &c. Age igitur primum de definitione, mox de divisione agamus.

Hic definitionem nominis non attingimus; ea enim ex mero hominum libita pendet, modo quis primum alios commonefecerit, se abuti hujusmodi nomine ad hanc vel illam rei ideam significandam, et si verò ideam illam ut significet, verbis usus fuerit cui significande usu deputata sunt, ipsorum tamen finitio ex arbitrio hominum primam originem duxit. Sed vero finitio rei, non ex hominum arbitrio, sed ex rei ipsis idea essentiali unitè dependet, quam obrem & per necessaria est.

Finitio rei perfecta est, λόγος ἡ τοῦ οὗ τίνας οὐνιμία. *Oratio significans quid sit id quod queritur*; hoc est, *rei essentialiam*. Significatur autem rei cuiusvis essentialia, per attributa, quæ in idea ipsius essentiali comprehenduntur, hujusmodi verò attributa, vel *communia* sunt, & genera, ubi finitum species, vel species infinitæ, ubi singularia finiuntur, appellari solent: vel *propria*, & *differentiae specificæ*, vel *differentiae singulares*, appellantur, ut homo est animal rationale, corpus est substantia extensa &c.

Finitio rei imperfecta, quæ & *descriptio* dicitur, originem ducit ex ignorantia nostra, vel aliorum. Ex ignorantia nostra, ubi vel omnia, vel aliqua essentialia rei attributa nos latent. Ex aliorum ignorantia, ubi relata rei perfecta definitione, ipsam ἡ τοῦ delineamus, ut aliorum captui oratio nostra accommodetur. Id autem multifariam contingere solet, nempe vel ex genere & modo proprio, vel coacervatione plurium modorum communium, magnitudine, figura, colore,

odore; sapore &c. vel ex genere & subiecto; vel ex genere, subiecto & causa; vel ex specie & collectione modorum singularis tantum &c.

Regulae perfectae finitionis sunt 1. ut ex *attributis proximis* & *essentialibus rei*, hoc est *ex genere proximo* & *differentia specifica*, vel *ex specie infima* & *differentia singulari definiti*, efflorescat. 2. quod primi consecutarium est, ut sine ea res finita nec esse, nec concipi possit. 3. ut sit propria, hoc est, *uni finito sicut ipsis essentialia cujus declaratio est*, competit. 4. ut sit universalis, hoc est *omni finito competit*. 5. ut sit perspicua, hoc est, ut claram rei seu ideae essentialis notitiam animo representet. 6. ut *causa proprietatum rei finitae* contineat. Ut dum corpus finitur substantia extensa, ratio seu *causa formalis*, divisibilitatis & mensurabilitatis, in extensione continetur.

CAPUT QVARTVM.

De Divisione.

Quicquid dividitur totum est. Totum vero geminum est, alterum, quod conflatitur ex partibus integrantibus, sive illae homogeneae sive heterogeneae sint, ut homo, quatenus ex corpore & anima coalescit: alterum est totum *universale*, seu *potentiale*, quod hac voce *omnis*, vel *omne* significatur, quodque ex partibus subjectis seu, quae in extensione universalitatis ipsius comprehenduntur, coalescit, ut animal dividitur in hominem & brutum, homo in Petrum, Paulum &c.

Quadruplex autem Totius Universalis, seu Potentialis divisio est 1. ubi genus in suas species, vcl species infima, in sua singulare dividitur, ut omne animal est homo, vel brutum; omnis substantia est corpus vel spiritus; omnis homo est Petrus vel Paulus, vel ceteri singulares homines. 2. ubi genus in suas differentias immediate oppositas dividitur, ut omnis linea est recta vel obliqua; omnis propositio est vera vel falsa; omne animal est rationale, vel irrationale; omnis numerus est par vel impar &c. 3. ubi subiectum commune dividitur in modos suos oppositos, ut: omnis homo est sanus, vel aeger, omnis homo est doctus, vel idiota, omne corpus movetur vel quietescit &c. 4. ubi accidentis commune in sua subjecta dividitur, ut habitus alii sunt intellectus, alii voluntatis, alii appetitus, bona alia sunt corporis, alia animi, alia totius personae, ut regia dignitas &c.

Exactae divisionis regulæ sunt 1. ut *divisio sit adiquata divisio*, hoc est ut membra divisionis, totum divisum contineant, ut par vel impar, toti numero diviso commensurantur: nempe nullus est numerus, qui non sit par vel impar. 2. ut *divisio sit in membra opposita*, nempe, quæ amicè componuntur non dividuntur. 3. quod secundi consecutarium est, *ut membrorum divisionis alterum, in alterius idea non contineatur*, vel ex ipsa parte necessario non proficiat, ut de eo verè affirmari possit, per raram enim dividuntur, quæ amicè conspirant & componuntur. 4. ut *singula membrorum divisionis minus contineant quam totum*, ut ubi homo, ut totum essentiale, dividitur in animal & rationale, vel ubi animal, ut totum universale dividitur in hominem & brutum, nempe partes semper sunt toto suo minores. 5. ut *membra divisionis in toto convenient*, ut homo & brutum convenient in animali, par & impar in numero, mors corporea & spiritualis in morte, utraque enim rei viventis extinctio est.

est, seu perfecta privatio, quæ potentiam simul & actum tollit. Perperam igitur & præter sermonem scripturæ, mors dividitur in temporariam & æternam: nempe mors temporaria non est mors, quippe mors in idea sua essentiali est naturalis & absolute privatio vitæ, sed à privatione absoluta ad habitum non datur regressus natura-liter, quamobrem omnis mors naturalis in idea sua essentiali durationem habet æternam à parte posteriori, ut loquuntur. Præterea mors in mortuis est privatio abso-luta vitæ, eaque duplex, vel corporeæ quæ privatio & extincio vitæ animalis est, vel spiritualis, quæ peccatum originale & habituale est, seu privatio & extincio vi-tæ spiritualis, quæ sita est in justitia & sanctitate, hæc autem spiritualis mors, causa mortis corporeæ est ex ordine divinæ justitiae, quia stipendum peccati mors est Rom. 6. & omnibus ex Adamo oriundis ab ipso ortu incumbit. Si mortem spiritua-lem in omnibus in Adamo & per Adamum mortuis consideres, ante gratiam & spiritum vitæ, qui advenit ex misericordia Dei & efficacia meriti Christi, utique in omnibus suæ naturæ æterna est; nullis enim naturæ creatæ viribus tolli & tempore terminari potest: quapropter verè affirmare possumus, omnes peccatores in Ad-a-mo esse mortuos, morte spirituali æterna, quod liquidò paret in incredulis, ad finem, qui fide nunquam secundo Adamo inseruntur. Si vero mortem spiritualem con-sideres in mortuis, ex quo gratia spiritus Christi eorum aliquot per fidem ad vitam spi-ritualem & coelestem refinxit, utique cæteri mortui spirituali morte, & reapse re-probi & increduli, mortem spiritualem æternam experiuntur. Ad mortem corpo-ream quod attinet, illa æterna est, tum in piis tum in impiis, neutri enim ad vitam corpoream seu animalem revocabuntur. Quamobrem mors sive corporeæ, sive spi-ritualis, quæ more privationum mortuis inest, neutra temporaria est, quare nec corporeæ, nec spiritualis mors prout in mortuis inest, sive in statu naturæ lapsæ ante gratiam, sive in statu ejusdem, post spretam ad finem gratiam: neutra inquam temporaria mors est, spuria itaque est divisio mortis in temporariam & æternam, quia mors temporaria alterum divisionis membrum, non convenit cum morte æterna, in toto, nempe in idea essentiali mortis, vel corporeæ vel æternæ.

CAPUT QUINTUM.

De speciebus Propositionis, spectatæ secundum Quantitatem.

Propositionum Quantitas, nota est quæ attributum extenditur ad subjectum, ut: *omnis, nullus, aliquis.* Ejusmodi attributi ad subjectum extensio non est pro-priè Quantitas; sed *xata ratiōne*, similitudinem rationum tantum, nempe sicut propriè dicta quantitas substantiam corpoream extendit, ostenditque quam late pateat in longitudinem, latitudinem, & profunditatem: non secus & notæ istiusmodi attributum extendunt ad subjectum, simulque ostendunt quam late pa-teat attributi ad subjectum extensio.

Propositio ratione Quantitatis dividitur in universalem & particularem, ad quas pertinent propositiones *indefinitæ* & *singulares*.

Propositio universalis est, cuius attributum ad omnia sub subjecto contenta exten-ditur; hujus autem extensionis seu universalitatis *omne* & *nullum* signum est, ut: om-nis homo est animal, nullus homo est Leo.

Propositio Universalis est duplex, *distributiva & collectiva*. Propositio universalis distributiva est, *cujus attributum distribuitur ad omnia sub subjecto contenta*, ut: omnis homo est rationalis, omnis circulus habet omnes lineas ductas à centro ad circumferentiam æquales, nempe esse rationale, omnibus singularibus hominibus convenit, & habere lineas à centro ad circumferentiam æquales, huic & illi circulo, cæterisque singularibus circulis, convenient.

Propositio distributiva est duplex: altera est *distributiva in singula generum*, illa nempe cuius attributum distribuitur ad singula cuiusque generis, seu conditionis fuerint, quæ sub subjecto continentur, ut: omnis homo est animal, omnis rosa est flos, &c. Alia est Propositio *distributiva in genera singulorum*, cuius attributum distribuitur pertinetque non ad omnia singula sub subjecto contenta: sed ad omnia singula genera, seu conditiones eorum, quæ sub subjecto continentur, ut omne animal terrestre & aërium fuit in Arca Noë.

Propositio Universalis Collectiva est, *cujus attributum convenient subjecto collectim sumto*, non distributo in singula sua, ut: omnes personæ divinitatis sunt tres, omnes animæ in homine sunt tres, atque adeo omnes propositiones, quarum attributum multitudinem includit.

Propositio Particularis est, *cujus subjectum est quidem universale; sed secundum partem indeterminatam suæ extensionis per notam particularitatis, aliquid usurpatum*, ut: aliquis homo est Musicus, aliquid triangulum est aureum, &c. Verum quia particulare, inviduum vagum est; sed reapse singulare determinatum, idcirco, particularis propositio, reapse singularis est.

Propositio singularis est, *cujus subjectum est singulare*, ut: Augustus est Imperator, Carolus secundus est Rex Anglorum, &c.

Propositio Indefinita est, *cujus subjecto universalis, nulla præfigitur nota universalitatis, vel particularitatis*, ut homo est medicus, rosa est alba, &c. dicitur indefinita propositio, quippe absente nota universalitatis & particularitatis, non definitur quoique attributum ad subjectum extendatur, num ad omne, num ad aliquid sub subjecto contentum.

Hic observasse operæ præmium erit, propositionum universalitatem esse duplēm, *Metaphysicam* alteram, alteram *Moralem*. Universalitas Metaphysica est, quæ juxta totam suam latitudinem seclusa omni exceptione usurpatur, ut in hisce propositionibus, omnis homo est substantia, omne Ens est bonum, omnis Leo est brutum &c. Et Metaphysica universalitas dicitur, quippe quæ fori Metaphysici est. Universalitas Moralis est, quæ juxta totam suam extensionem, seclusa omni exceptione non usurpatur, ut in hisce propositionibus φθειγενος οὐκ εἰσιτει κακοί. Bonos corrumpunt mores congressus mali 1 Cor. 15. 33. ex Thaide Menandri. Κακοί εἰσι ψύχει, κακά οὐχί, γανέγεις ἀγριοί. Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri, Tit. 1. 12. Ex Epimenide de Oraculis &c. Aliquam exceptionem hujusmodi propositiones patiuntur; nempe singuli congressus mali non semper bonos mores corrumpunt, nec singuli Cretenses, malæ erant bestiæ & ferino more vicitantes; sed vero quia plati que omnes Cretenses mendaces erant, malæ bestiæ & ventres pigri, & prava consorsia, ut plurimū bonos mores depravant, hinc pro universalibus, universalitate morali, hujusmodi propositiones habentur. Moralis vero istibæc universalitas dicitur, quippe fori

fori moralis est, nempe in rebus moralibus, ut propositiones universales, pro veris habeantur, sat est ut attributum subjecto, ut plurimum, conveniat.

Hic quæri solet, ad quas propositiones indefinitæ & singulares, num ad universales, num ad particulares referantur? Respondeo, hic sedulo distinguendam esse propositionum materiem: nam primo in materia necessaria & impossibili, omnes indefinitæ propositiones, sunt universales, veræ quidem in materia necessaria, ut homo est animal, homo est disciplina capax, triangulum habet tres angulos pares duobus rectis: falsæ vero, vel figuratae, in materia impossibili, ut homo est brutum, petra erat Christus, Deus est ignis consumens &c. Sed vero in materia contingente, vel possibili, si subjectum universale fuerit, & attributum subjecti qualitas adicitia pro universalibus; sed falsis habentur, ut homines sunt nigri, ursi & lepores sunt albi, rose sunt albæ. Verum si pro veris habeantur, sunt particulares, quod apprimè in syllogismis observandum est, nempe si adversarius ex indefinitis propositionibus argumentum in materia contingente, contexuerit, ambæ propositiones falsæ sunt siquidem syllogismus in forma legitima fuerit, sed vero si pro particularibus, eas ut veræ sint, usurpaverit, syllogismus in nullo modo legitimo est, & nihil concludit, nempe ex particularibus ad particulare, nulla est legitima consecutio, in materia contingente, hoc est, cujus attributum contingente habet cum subjecto connexionem. Ratio est quia particularia reapse singularia sunt, singularia vero singularibus suis differentiis, simul essentialibus simul accidentariis, invicem distinguantur, nec nisi in aliqua universalis idea convenient. Propositiones indefinitæ, quarum attributum actio singularis est ut *Latrones, qui crucifixi erant cum eo, id ipsum exprobrabant ei* Matth. 27. 44. *Milites plectentes coronam ex spinis, imposuerunt capitellus*, Joan. 19. 2. Et cæteræ id genus, particulares pariter sunt, & eapropter singulares, sed indefinitæ sunt, etenim particulare quodvis singulare indeterminatum est, idcirco subjecto universalis, sed particularitatis nota ad partem aliquam eorum, quæ sub eo continentur, restringitur, sed pars illa reapse singulare aliquid est, ubi attributum est modus aliquis accidentarius, nempe modi accidentarii singularibus primo insunt, & universalibus propter singularia, sub iis contenta attribuuntur, ut in prima parte Institutionum cap. 21. notavimus.

Singulares propositiones, quorum subjectum singulare est, vel nomine proprio, vel pronominis demonstrativo significatum, ad universales referuntur, nempe attributum subjecto secundum totam suam extensionem spectato, convenit absque ulla limitatione, vel eo ipso quod singulare est: sed vero major, vel minor extensio non est de essentia universalis, non enim minus universalis natura est, quæ duobus tribus ve apta est inesse, quam quæ millibus, quam obrem singulare secundum totam suam extensionem usurpatum, non minus habet rationem universalis, quam quod reapse universale est.

CAPVT SEXTVM.

De Speciebus Propositionis, spectatæ secundum Qualitatem.

Propositionis qualitas est, *qua propositio dicitur qualis, verbi gratia, affirmans vel negans, vera vel falsa, simplex vel composita, &c.* Unde sequitur Propositionis secundum qualitatem, multas esse species, pro multiplici propositionum habitudine.

1. Propositio secundum qualitatem, dividitur in *affirmantem & negantem*. Propositio affirmans est *mentis judicium, quo pronuntiat aliquid, hoc est, attributum inesse seu convenire subiecto, sive illud attributum sit res seu substantia, sive quilibet rei modus, ut rosa est flos, terra est rotunda, &c.* Propositio negans, est *mentis judicium, quo pronuntiat aliquid, hoc est, attributum non inesse vel non convenire subiecto, sive illud attributum substantia fuerit, sive modus quilibet, ut rosa non est arbor, Deus non mentitur, &c.* Observa notam negandi in negante propositione semper esse praefigendam verbo, hoc est, copulae verbali expressæ vel latenti. Si vero nota negandi subiecto praefigatur, propositio affirmans indefinita est, ut non homo est arbor. Propositiones affirmantes universales, in syllogismo significantur per litteram A. Propositiones negantes universales per litteram E. Propositiones affirmantes particulares, per litteram I. Propositiones denique negantes particulares, per litteram O. Hoc sonant hī qualescunque versiculi.

Afferit A. Negat E; verū generaliter ambo.

Afferit I. negat O; sed particulariter ambo.

2. Propositio spectata secundum qualitatem, dividitur in *veram & falsam*. Propositio vera, est *mentis judicium, quo verè, hoc est, rebus ipsis convenienter, aliquid subiecto inesse, vel non inesse pronuntiat, ut omnis substantia extensa est divisibilis, omnis rosa est flos, nullus lapis est homo, &c.* Propositio falsa, est *mentis judicium, quo falso, hoc est, non convenienter rei ipsi, aliquid inesse, vel non inesse, pronuntiat, ut homo est lapis, corpus potest esse in puncto, corpus potest esse simul in pluribus locis, substantia extensa non est divisibilis, rosa non est flos.* Sed enim verò, quia propositio est duplex, *altera mentalis, quæ, mentis internum est rei judicium, & vocatur propositio mentalis: vel in voce, quæ est mentis judicium, signis externis vocis articulata, vel scriptura declaratum, & dicitur propositio vocalis, vel scripta.* Hinc fit, ut veritas, vel falsitas propositionis diversimodè aestimetur. Propositionis mentalis veritas, est *eius cum re ipsa conformitas, nempe mens verè judicat, ubicunque de rebus judicat ut sunt; ipsis verò falsitas est à re ipsa disformitas seu disconvenientia: nempe mens falso & perperam judicat, ubicunque de rebus judicat, secus atque sunt.* Propositionis vocalis veritas *ipsius est cum re & conceptu conformitas; ejus verò falsitas, disformitas est & discrepancy à re & conceptu.* Idem esto de propositione scriptâ judicium. Sed enim non raro contingit, ut vocalis propositio conformis conceptui sit; sed simul à re ipsa discrepans, nempe quia ipsum mentis judicium à re ipsa discrepat, & tum vocalis propositio vera est, *veritate morali, quæ conformitas est vocis, cum judicio, sed simul falsa est falsitate, naturali & reali, quippe, quæ non est conformis*

formis rei ipsi enunciatae. Vice versa contingere potest, ut propositio vocalis iudicio mentis non sit conformis; sed ab ipso planè discrepans, & simul rei ipsi enunciatae conformis, quod ubi contingit, propositio vocalis falsa est, falsitate morali, quæ mendacium dicitur, nempe, qui loquendo mentitur, it in mentem suam: sed vera est veritate reali & naturali, nempe rei ipsi conformis est.

Hic observare juvat, quamlibet propositionem, sive affirmans illa fuerit, sive negans, esse veram vel falsam, nempe cum propositio quævis, mentis sit *judicium*, quo pronuntiat aliquid inesse vel convenire, vel non inesse aut non convenire subiecto, utique necesse est, ut vere, hoc est, rei ipsi convenienter judicet, vel falso, hoc est, rei minus convenienter, nempe impossibile est rem simul esse & non esse.

Verum propter finitam mentis humanæ capacitatem, ut plurimum enim lambimus vas vitreum, nec pultem intus latenter attingimus, non raro contingit, ut propriæ infirmitatis consciæ, et si res nobis vera videtur; non semper tamen plane persuasi sumus de veritate seu conformitate judicii nostri cum re. Contrà vero contingit, ut, et si falsum aliorum de re nobis videatur judicium, non tamen plane persuasi sumus de ipsius falsitate. Hinc oriuntur, quas vocant *propositiones probabiles*, quæ, et si reapse & Deo omniscio veræ, vel falsæ omnino sunt; nobis tamen perangustæ cognitionis homulis, probabiles, hoc est, potius veræ, quam falsæ; sed tamen veritatis utcunque dubiae videntur.

3. Propositio ratione Qualitatis dividitur in *finitam & infinitam*. Propositio finita est, quæ constat subiecto & attributo finitis, hoc est, quæ rem unam definitè significant, finiuntque mentis intelligentiam ad unum subiectum & attributum, ut, adamas est lapis pretiosus. Propositio infinita est, quæ constat subiecto vel attributo, vel utroque infinitis, hoc est, quibus immediatè præfigitur nota negandi, ut non homo est animal, non homo est non animal. Ratio est, quia nota negandi subiecto, vel attributo immediate præfixa objectum reddit indefinitum, quod de rebus omnibus excepto suo finito dici potest, ut non homo & non animal, attribui possunt rebus omnibus excepto homine & animali. Itaque infinita dicitur, simul, quia infinitis, hoc est, indefinitis rebus attribui potest: simul quia audita illa propositio mentem non finit & determinat ad certum aliquod subiectum & attributum. Hic autem observandum est discrimen longe maximum, inter enunciationem negantem & inter enunciationem infinitam, nempe in propositione negante, nota negandi immediate præfigitur copula verbalis est, expressæ vel latenti in attributo: sed vero in propositione infinita, nota negandi immediate præfigitur subiecto vel attributo, unde hæc non homo est planta, propositio infinita affirmans est; non vero finita negans, nempe dicendum foret, homo non est planta.

4. Propositio ratione Qualitatis dividitur in *simplicem & compositam*. Propositio simplex est, quæ ex uno subiecto & attributo efflorescit, ut homo est animal. Propositio simplex dividitur in *puram & modalem*. Propositio simplex pura est, quæ caret omni modo, ut rosa est flos. Propositio simplex modalis est, cui præfigitur modus significans quomodo attributum subiecto conveniat, estque multiplex pro modo multiplici; sed pro quadruplici propositionum materia, modi insignes quatuor sunt, nempe *necessaria, impossibile, contingens & possibile*, ut necessaria est rosam esse floram, impossibile est

rosam esse cucurbitam, contingens est rosam esse hyeme, possibile est rosam esse hyeme. In Propositione modali duo observantur, nempe, *modus* & *dictum*. *Modus* est *signum*, quo menti significatur quomodo attributum *subjecto* conveniat: *Dictum* verò est *quod affirmatur vel negatur*, ut in hac propositione, necesse est rosam esse florem, modus est rāneceſſe, & dictum rosam esse florem.

Propositio composita est, quæ vel ex pluribus subjectis & uno attributo, vel ex pluribus attributis & uno subjecto, vel ex pluribus subjectis & attributis, coalescit. Et meritò quidem composita dicitur, nempe conflatur ex pluribus simplicibus, & in plures pariter simplices propositiones, resolvi potest: ut bona & mala procedunt ex ore *Excelsi Lam.* 3. 38. *Jeheue*, *redemptor noster*, *Jeheue legislator noster*, *Jeheue Rex noster*, *ipse servabit nos*, *Ef.* 33. 22. *Christus factus est nobis*, *sapientia*, & *justitia*, & *sanctificatio*, & *redemptio*, *i Cor.* 1. 30. *Aſpice Iſionem*, *urbem feforum nostrorum*, *oculit uideant Jeruſalem habitationem quietam*, *tabernaculum*, *quod non dissipabitur*, *cujus pax illorum nullus recedet umquam*, *neque ulli funes ejus disrumpentur*, *Ef.* 33. 10. Verum nonnumquam propositio composita, ex duabus pluribusve efflorescit; quarum una *principalis* propositio est, alias vero, *ascitæ* & *incidentes*. Contrà vero nonnumquam propositio, composita ex pluribus propositionibus simplicibus coalescit, quæ omnes *principales* sunt, hoc est quicquid in iis affirmatur, vel negatur ex aequo earum *subjecta* respicit. Hæ verò quia maximi momenti ponderisque simul in argumentis, simul in scientiis, sunt, & paulo acutius nobis pertractandæ incumbunt. Age igitur primum de propositionibus compositis secundum quid, hoc est ex *principali* & *ascita*; mox de compositis absolute, hoc est ex omnibus propositionibus præcipuis, edissēramus.

C A P V T S E P T I M V M.

*De Propositionibus compositis secundum quid, hoc est ex principi-
pe & ascita, simplici propositione.*

Propositio *Composita*, ut supra notavimus, ex pluribus simplicibus efflorescit, nempe vel plura *subjecta*, vel plura *attributa*, vel plura simul *subjecta*, simul *attributa* habet, unde & in plures simplices resolvitur. Verum & id contingit bifariam primò, ut in ea, una sit *princeps* propositio *simplex*, alia vero *ascita* & *incidentes*, quæ vel ad *subjectum*, vel ad *attributum*, vel ad *utrumque*, vel denique ad *formam*, hoc est, affirmationem vel negationem, *principis* propositionis pertinet. Unde hæc propositio, *composita secundum quid*, nobis appellatur & quidem *composita*, quia in plures simplices resolvi potest; sed verò *composita* est secundum quid, quia propositio *ascita*, quæ in ea est, pertinet ad *subjectum*, vel *attributum* *principialis* propositionis ipsius: ut, *Qui facit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis, intrabit in regnum cœlorum*, Matth. 7. 21. Resolvitur in has simplices. Qui est faciens voluntatem patris mei; Pater meus est in cœlo, Qui facit voluntatem Patris mei, intrabit in regnum cœlorum: sed verò ultima propositio *principialis* est, cæteræ due *ascitæ*, quarum prima nempe *qui est faciens voluntatem patris mei*, pertinet ad *attributum* *principialis* propositionis, nempe *intrabit in regnum cœlorum*, & se-
cunda

cunda nempe pater meus est in cælo, pertinet ad subjectum nempe, faciens voluntatem patris mei.

In hisce propositionibus ex principe & ascita compositis, semper meminisse juvat, ascitam propositionem aliquando ad subjectum, nonnumquam ad attributum, quandoque ad utrumque, demum ad neutrum, sed ad formam, hoc est ad affirmationem, vel negationem ipsius pertinere. Ad subjectum, ut *Beatus vir, qui non ambulavit in consilio impiorum & in via peccatorum non stetit, & in cathedra derisorum non sededit; sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditatur die & nocte*, Ps. 1: 1, 2. Ad attributum: ut, *Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. 12. Ad utrumque ut: *Afflictio nostra levis & illico præteriens, operatur nobis pondus æternum gloria excellenter excellentis*, 2 Cor. 4. 17. *Levis & illico præteriens, ad afflictionem, quæ subjectum est, pertinent: at enim pondus æternum, excellenter excellens; ad gloriam, quæ ipsius est attributum*. Denique in propositione composita ex principe & ascita, nonnumquam ascita propositio, nec ad subjectum, nec ad attributum principalis pertinet; sed ad formam, hoc est ad ipsius affirmationem vel negationem, quæ in copula verbali est, tota est, ut: *Astrologi docent solem esse centies sexagessexies terra majorem:nempe Astrologi docent, quæ ascita propositio est, neque ad solem, neque ad solis magnitudinem pertinet, quippe dempta propositione incidente, Astrologi docent, principalis propositio nempe sol est major terra centies sexagessexies, vera est*. Pertinet itaque ad affirmationem, quæ magnitudo major soli tribuitur, per medium copulam est. Item in hac negante, *Astrologi docent lunam non esse tantam quamta est terra, Astrologi docent, ad negationem propositionis pertinet*. Idem esto judicium de quatuor modalibus propositionibus, ut necesse est hominem esse animal, impossibile est Deum mentiri, contingens est hominem esse divitem, possibile est rosam esse hyeme. Nempe modi illiusmodi necesse, impossibile, contingens, & possibile, ad materiem, hoc est ad subjectum & attributum illarum propositionum, non pertinent: sed ad earum affirmationem, vel negationem; quæ forma est propositionis.

Observasse vero haut abs re erit. Ascitas propositiones esse geminas, alias quidem explicantes; alias vero determinantes, sive pronomine relativo qui, quæ, quod, sive absque eodem expresso, efferantur. Propositio ascita explicans est, quæ ideam subjecti vel attributi principis propositionis nihil quicquam immutat; Sed modo explicat; ut *Deus solus sapiens, immortalis, invisibilis, rex seculorum, mundum condidit. Afflictio fidelium parit gloriam, quæ pondus æternum & excellenter excellens est*. Propositio ascita determinans est, quæ ideam subjecti, vel attributi principis propositionis mutat, eam determinando ad partem quandam suæ extensionis. Ratio est, quia aliquid subjecto vel attributo adjicit, quod ipsi non convenit juxta totam suam extensionem, ut: *omnia corpora gravia, vel quæ sunt gravia deorsum feruntur: grave esse*, quod superadditur corpori; illi non convenit secundum totam suam extensionem, nec in idea essentiali corporis continetur, sed eam mutat determinatque ad certam speciem corporum. Item *omnes homines fideles, seu qui sunt fideles, sunt humiles. Fideles esse*, quod hominibus superadditur, non continetur in idea essentiali hominis, nec illi convenit secundum totam suam extensionem: sed ideam hominis immutat habitu fidei superaddito, eamque determinat ad certum genus hominum. Hinc

sequitur secundum discriminem; nempe propositionum ascitarum & explicantium attributum affirmatur de subjecto principis propositionis & in idea ipsius perfecta continetur, ut in hac, *qui est solus sapiens, immortalis invisibilis, rex seculorum*, continetur in Deo subjecto principalis propositionis, & de eo affirmatur. Contrà vero propositionum ascitarum determinantium attributum, non continetur in idea essentiali subjecti principalis propositionis; nec de eo affirmatur. Ut in hac, *qui sunt fideles, fideli* esse, non continetur in idea hominis, nec de ea affirmatur. Hinc profluit tertium discriminem, nempe propositionem principalem esse veram, absque propositione ascita explicante, verbi gratia, hæc propositio *Deus mundum condidit*, æque vera est atque hæc, *Deus solus sapiens, immortalis, invisibilis Rex seculorum, Mundum condidit*. Contrà vero, propositionem principalem, non esse veram absque propositione ascita determinante, ut in exemplo laudato. Hæc propositio principalis *omnes homines sunt humiles*, falsa est, item, *omnia corpora deorsum feruntur*. Sed una cum ascita determinante, amba sunt veræ, ut *omnia corpora quæ sunt gravia deorsum feruntur, & omnes homines, qui sunt fideles sunt humiles*. Ratio est, quia attributum principis propositionis, subjecto non convenit, nisi ubi coalescit cum attributo propositionis *incidentis*, ut ex ambobus idea totalis, verbi gratia, complexi hujus scilicet *hominis fidelis*, ita *ferri deorsum*, non convenit corpori, nisi ubi coalescit cum gravitate, quæ attributum est propositionis incidentis.

CAPUT OCTAVUM.

De Propositionibus absolute compositis, hoc est ex multis simplicibus præcipuis.

Propositio composita absolute est, *quæ vel ex multis subjectis, vel ex multis attributis, vel simul ex multis subjectis, simul ex multis attributis, conflatur*. Estque duplex altera *absoluta*, altera *hypothetica seu Conditionata*. Propositio composita absolute est, *quæ absolutivitatem liberaque ab omni conditione procedit*, Estque duplex altera *verbis & sensu*, composita, ut: Plato & Socrates fuerunt Philosophi Græci; altera sensu, non verbis composita, quam gens Scholasticorum barbara, *Exponibilem*, appellant, ut: *unus Deus bonus est* Matth. 19. 17. *unus Deus sapiens est*, 1 Tim. 1: 17.

Propositio absoluta, verbis & sensu composita, est multiplex, nempe *copulativa disjunctiva, causalis, relativa, & adversativa*.

Propositio *copulativa est, quæ ex multis subjectis, vel attributis copula affirmativa, vel negativa conjunctis, coalescit*. Et 1. quidem ex pluribus subjectis & uno attributo; ut

*Una Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis
Africus*

*manet alta mente reposum
Judicium Paridis, spretaque injuria formæ
Et genus invisum, & rapti Ganymedis honores.
2. Ex pluribus attributis, ut*

— At nunc horrentia Martis

Arma virumque cano Trojæ , qui primus ab oris
Italianam fato profugus , Lavinaque venit
Littora , multum ille & terris tactatus , & alto.

— Sociis ad littora mittit ,

Viginti tauros , magnorum horrentia centum
Terga sum , pingues centum cum matribus agnos
Munera latitiamque Dei.

3. Simil ex pluribus subjectis , simul ex pluribus attributis , ut :

Jam fides & pax & honor pudorque

Prius , & neglecta redire virtus

Audet , apparetque beata pleno

Copia cornu.

Propositionum copulativarum veritas , ex veritate simplicium , unde conflatur , unicè pendet . Etsi enim simplicium altera vera est , si altera falsa fuerit etiam , integra propositio copulativa erit falsa . Ratio est , quia attributum de ambobus subjectis conjunctim affirmatur , ut : fides & bona opera sunt ad salutem necessaria , vera propositio est : sed haec fides & consulatus sunt ad salutem necessaria , falsa est , etsi fides ad salutem pernecessaria est .

Propositio disjunctiva est , quæ ex pluribus simplicibus immediatè oppositis & particula disjunctiva discretis , efflorefcit , ut : vel dies est , vel nox , vel pluit , vel non pluit ; vel ver est , vel aestas , vel autumnus , vel hyems . ὁ δὲ μὴ διαλέγεται νομίζει τὸν θεόν . Qui non potest societatem contrahere cum aliis , vel fera est ; vel Deus Arist. I. de Repub. c. 2.

Disjunctivarum propositionum veritas , ex immediata simplicium ex quibus efflorescunt oppositione , unice pendet . Nempe si quid inter ipsas intercedat mediis falsæ utique sunt , ut : vel pulchra est , vel deformis , nempe temperata forma intercedit media , pulchritudinem inter & deformitatem .

Propositio Causal is est , quæ ex duabus , ut minimum simplicibus causal i particula ut , quia , quoniam &c. conjunctis , coalescit , ut : Beati , qui sunt mundi corde , quoniam ipsi Deum videbunt : Beati qui sunt pacifici , quoniam ipsi filii Dei vocabuntur . Matth. 5. 8, 9. Væ tibi Chorazin , væ tibi Bethsaida : nam si Tyri & Sidone editæ fuissent virtutes , quæ editæ sunt apud vos , olim cum sacco & cinere respuissent . Matth. 11. 21.

Ut jugulent homines , surgunt de nocte latrones

Ut te ipsum serues , non expurgiseris ?

Propositionum Causalium veritas unicè pendet ex veritate causæ , hoc est , necesse est , ut altera alterius causa reapse sit . Unde sequitur utramque esse necessariò veram , falsum enim utsiote privatio , nec causa est , nec habet causam efficientem ; sed deficientem . Verum etsi ambæ veræ sunt , nisi altera causa sit alterius , attamen causalis propositio falsa erit , ut : Diaboli credunt Deum esse , quia sunt mali , utraque propositio simplex vera est : sed enim Causal is propositio falsa est , nempe Dæmonum malitia , non est causa fidei ipsorum .

Propositio Relativa est , quæ habitudinem quamdam aut comparationem includit , ut : ubi est amor , ibi est anima .

— hæc tantum alias inter caput extulit urbes

Quantum lenta solent inter viburna cupreſi.

Quantum quisque sua, nummorum servat in arca,

Tantum habet & fidei.

Propositionum Relativarum veritas ab exacta rerum comparatarum habitudine seu proportione, pensanda est.

Propositio *Adversativa* est, quæ ex duabus simplicibus diversis & utcumque oppositis particula discernente; ſea, tamen, &c. efflorefcit, ut

Non formosus erat: sed erat facundus Ulysses.

— nec ſi miserum fortuna Sinonem

Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Adversativarum propositionum veritas, ſimul ex veritate ambarum simplicium, ſimul ex oppositione earumdem, aſtimanda est: nempe ſi ambæ simplices verae fuerint; nec tamen oppositæ invicem, propositio ſpecie tenus adverſativa erit & falsa, & ridicula, ut: *Petrus abnegavit Christum & tamen reliquit:* nempe abnegare Christum & relinquere, non opponuntur, ſed amicè componuntur.

C A P U T N O N U M.

De propositionibus, in sensu Compositis.

IN verbis & sensu Compositas & ab hypothesi Absolutas propositiones, abſolvimus. Age in sensu uno compositas, per traſtemus.

Propositio, in sensu *Composita* eſt, quæ ut verbis ſimplex videtur, reaſet tamen *composita* eſt, gemina enim mentis judicia complectitur. Et dividitur in *Comparantem*, *Excipientem*, *Excludentem*, & *Incipientem* ſeu *Definentem*.

Propositio *Comparans* eſt, quæ duo invicem comparantur, ut:

Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum.

Nihil habet infelix paupertas, durius in ſe

Quamquid ridiculos homines facit.

Hæc ſimilesque propositiones duo plurave habent mentis judicia, nam mea mens judicat. 1. paupertatem multa habere dura, 2. duriflum eſſe, quod homines faciat ridiculos; nempe ubi rem judicamus eſſe magis minusve alia talem, & judicamus rem eſſe talem, & aliam quoque talem eſſe.

Propositio *Excipiens* eſt, quæ aliquid de omni ſubiecto affirmatur vel negatur, excepto aliquo, particula excipienti eſi & ipsius inferiori, ut *Imperitus*, nifi quod ipſe facit, nifi reatum putat.

Non habemus hic, nifi quinque panes & duos pifces, Matth. 14: 17. Hujuscemodi propositiones ut verbis videntur simplices, compositæ ſunt, & duo habent mentis judicia, alterum affirmativum, alterum negativum, nempe discipuli Christi affirmant ſe habere quinque panes & duos pifces, negant vero cætera omnia alimenta penes ſe eſſe.

Propositio *Excludens* eſt, quæ affirmat attributum de uno aliquo ſubiecto, particula aliqua excludente cætera quævis ſubiecta, ut: Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.

rem. *Solus Deus est sapiens. Nobilitas sola est atque unica virtus. Colligimus igitur fidei justificari hominem absque operibus Legis.* Rom. 3. 28. Illiusmodi propositiones, duo mentis judicia habent; alterum affirmans, alterum negans, nempe, verbi gratia, Fabium cunctando rem Romanorum restituisse, neminem contrā eo secluso rem Romanorum restituisse. Et iterum hominem fidei justificari, neminem verò contrā justificati per opera Legis.

Propositio *Incipiens est*, qua affirmatur aliquid incepisse, ut: *Tempore Sethi cæptum est invocari nomen Domini.* Gen. 4. 26. Ex eo tempore cœpit Jesus prædicare &c. Matth. 4. 17. Anno 1059. Sub Nicolao 2. in Concilio particulari primū declaratum est corpus Christi presbyterorum manibus sensibiliter contrectari & frangi; dentibusque fidelium ter. Urbanus 4. festum Sacramenti primū instituit anno Christi 1264. Ejusdem Sacramenti solemnum processionem Joannes 22. anno 1336. omnium primus constituit. Imaginum venerationem & religiosam adorationem, Concilium Nicænum secundum sancrit sub Adriano 1. anno 787. Purgatorum fide tenendum, Concilium Florentinum sub Eugenio 4. decrevit, anno 1439. Hæ cæteræque propositiones in sensu compositæ sunt, nempe duo habent mentis judicia, alterum affirmans expressum; alterum negans & latens, nempe qui affirmat Purgatoriæ doctrinam pro articulo fidei positam primū anno 1439. in Concilio Florentino, pariter negat hujusmodi Romanæ fidei articulum ante Eugenium 4. aliquo Concilio sancitum fuisse. Idem esto cæterarum propositionum, quibus rerum inceptions affirmantur, judicium.

Propositio *Desfnens est*, qua aliquid desfisse affirmatur, ut: *desverunt extruere urbem illam.* Gen. 11. 8. In medio septimanæ ipsius abolebit sacrificium & munus. Dan. 9: 27. Quingentis ab hinc præter propter annis Linguae Latinæ usus in Italia desit esse vulgaris. Compositæ sunt quotquot propositiones rerum finem statuunt, quippe geminum habent judicium alterum affirmans, quo res hoc aut illo tempore desfisse affirmatur; negans alterum, quo prius desfisse negatur.

CAPUT DECIMUM.

De Propositionibus Hypotheticis.

Propositio *Hypothetica seu Conditionalis est*, qua ex duabus ut minimum simplicibus, particula conditionali ligatis, efflorescit, ut: si Plato & Socrates fuere Philosophi Athenienses, fuere Philosophi Græci. Si professus fuerit ore tuo Dominum Jesum, & crediderit in corde tuo, quod Deus eum suscitavit ex mortuis, servaberis. Rom. 10. 9. Prima pars cui particula conditionalis præfigitur, Antecedens, secunda, qua hinc vi conditionis sponte sequitur, Consequens, appellatur, ut in hac Pauli. Si præputium jura Legis observet, nonne præputium illius pro circumcisione reputabitur? Rom. 2. 26. Si præputium jura Legis observet Antecedens est. Nonne præputium illius pro circumcisione reputabitur? Consequens.

Hujusmodi propositiones Hypotheticæ, ut frequentissimi usus sunt in foederibus cæterisque pactis, in Jurisprudentia, S. S. Theologia & Scriptura Sacra, & dignæ sunt paulo penitiori indagine, & accuratiore tractatione.

Observamus itaque primo discrimen memorabile *Absolutam* inter Propositionem

nem & *Hypotheticam*; nimirum veritatem Absolutæ propositionis sitam esse in reali connexione subjecti & attributi. Contrà autem Hypotheticæ propositionis veritatem in connexione subjecti & attributi simplicium unde efflorescit, haudquaquam consistere: sed in reali & naturali connexione omnium attributorum, quæ in propositione Conditionali, continentur. Hinc sequitur observandum esse secundò: nimirum partes omnes propositionis Hypotheticæ falsas esse non raro, ipsam tamen propositionem hypotheticam esse veram, ut liquet in ambabus istis Pauli Propositionibus. *Si nos, aut Angelus è cælo Euangelizet vobis, præter id, quod vobis Euangelizavimus, anathema eſt, Gal. 1:8.* Hæc propositio in falsas hanc omnes resolvitur. 1. *Paulus Euangelizat, præter id quod ab ipso Euangelizatum eſt.* 2. *Paulus eſt anathema.* 3. *Ceteri Apostoli Euangelizant, præter id quod Euangelizatum eſt.* 4. *Ceteri Apostoli sunt Anathema.* 5. *Angelus è cælo Euangelizat præter id quod ab Apostolis Euangelizatum eſt.* 6. *Angelus è cælo eſt anathema.* Falsæ sunt omnes istiusmodi simplices; nempe earum attributum reapse non cohæret cum subjecto. Integra tamen Apostoli propositio Hypotheticæ vera est, nempe omnia simplicium propositionum attributa scilicet, *Euangelizare præter id quod Euangelizatum eſt, & eſse Anathema,* reapse, jureque in violabili cohærent. Altera Pauli propositio in qua fit conspicua veritas observationum nostrarum, est. *Si vienis quispiam alium Jesum prædicet, quem non prædicavimus, aut spiritum alium accipiatis, quem non acceperitis, aut Euangelium aliud, quod non recepistis, recte illum toleraveritis, 2 Cor. 11:4.* In hac propositione Paulus crncem Theologis, posuisse videtur & sibi, anathemate ferienti quempiam Euangelizantem præter id quod ipse Euangelizavit, splendidè contradicere. Verum hic nulla contradictione, nullaque difficultas appetat, iis quibus nostra observationes in numerato erunt. Nempe omnes propositiones simplices, in quas Paulina hypothetica resolvitur, falsæ sunt, quippe earum attributa non reapse subjectis cohærent. Falsum est aliquem venisse & annuntiasse alium verum Jesum, nam nullus potest esse verus Jesus, præter illum, quem Paulus & Apostoli prædicarunt, & de vero Jesu Paulum sermonem habere liquet, sciverat enim venturos pseudoApostolos, qui Antichristum prædicarent. Falsum est, Corinthios accepisse alium spiritum; nempe spiritus sanctus unam commitatur & magis donis suis, veri Jesu prædicationem. Falsum est aliquem annuntiasse & Corinthios recepisse verum aliud Euangelium, ab ipso, quod à Paulo receperant. Attamen vera est Apostoli integra propositio hypothetica, quippe attributa omnium propositionum simplicium, nempe verum alium Jesum prædicare, alium spiritum sanctum, & aliud verum Euangelium recipere, optimè cohærent, cum tolerantia, imo dignus esset summa reverentia, qui Jesum alium verum prædicaret, & aliud Euangelium verum annuntiaret, & suam illam prædicationem donis spiritus sancti confirmaret; nimirum eo ipso luculenter ostenderet nec Iesum, quem prædicarunt Apostoli, nec Euangelium, quod annuntiarunt esse verum.

Notatu autem dignum est cohærentiam illam attributorum Simplicium propositionum, quibus Hypotheticæ constant, esse geminam, nempe *Mediatam & Immediatam.* *Mediatam eſt,* ubi duo attributa per tertium attributum medium, quod latet in mente cohærent, ut: *Si Deus Petrum prænovit, eum justificavit;* nimirum inter Dei prænitionem & hominis justificationem, prædestinatio & efficax

vocatio intercedit. *Si circumcidamini, Christus nihil vobis profuturus est*, Gal. 5: 2. ratio seu medium quod connectit, Christi nullum numerum cum circumcisione est, quia circumcisio in carne Abrahamitarum signum erat Christi venturi quotquot ergo post Christi adventum plane revelatum, circumcidabantur illius signi susceptione declarabant se exspectare Christum venturum, quamobrem Christum venisse negabant, & nullum ex eo emolumentum percipiebant. *Immediata cohærentia attributorum in hypothetica propositione est, qua sine ullo medio, sed per se se immediate cohærent*, quod usu venit quotiescumque alterum attributorum in se causam & rationem alterius habet, ut cum ex specie genus, vel ex differentia species, vel ex singulari species, vel ex finitione, definitum, vel ex essentia proprietas, consequitur, ut: *Si est albedo est color, si est rationale est homo, si est Petrus est homo, si est substantia extensa, est corpus. Si est substantia extensa est divisibilis, si anima est spiritualis est immortalis &c.*

CAPUT DECIMUM PRIMUM.

De propositionum affectionibus & primum de Limitatione.

Propositionis affectio est modus propositionis, qui eam facit tali modo se habere.

Propositionis affectio gemina est, altera *Absoluta*, quæ propositioni per se spectatae absque habitudine ad aliam competit, ut veritas, falsitas, simplicitas, compositio, limitatio &c. Altera *Respectiva*. Propositionis affectio Respectiva est modulus, qui propositioni convenit in habitudine ad alias, estque quadruplex nimis *Subalternatio, Opposito, Conversio, & Äquipollentia*.

Limitatio est Propositionis restrictio, quæ fit vel per reduplicationem subjecti, vel per additionem novi attributi, sive illud sit gradus essentialis communis subjecti, sive modulus accidentarius. Unde sequitur Limitationem propositionis esse geminam, alteram Reduplicativam, alteram non Reduplicativam.

Propositionis Limitatio Reduplicativa est, qua Propositio limitatur per reduplicationem subjecti, ut homo quatenus homo, disciplinæ capax est, nam homo quatenus est animal, corpus, substantia, Ens, non est capax disciplinarum capessendarum: sed tantum quatenus est homo, hoc est, natura intelligens & rationalis.

Propositionis Limitatio, non Reduplicativa est, qua propositio limitatur per additionem attributi, quod non est differentia essentialis subjecti; sed vel gradus genericus, vel modulus ipsius accidentarius, ut: homo quatenus est corpus, est extensus & divisibilis, homo quatenus est medicus morbos novit, eorumque curationem. Hanc Limitationem Scholastici inconcinnè garrientes in gurgustiis suis, Limitationem *Specificativam* vocarunt: sed perperam. Nempe Limitatio non reduplicativa, numquam fit per additionem attributi specifici; sed semper per additionem attributi genericci vel modi accidentarii: Non utique igitur specificativa Limitatio censenda est.

CAPUT DUODECIMUM.

De Subalternatione Propositionum.

Plurique omnes Logici, Subalternationem propositionum, in speciebus Oppositionis numerant, utique perperam, quippe ne umbra quidem Oppositionis intercedit ambas interpropositiones, quarum altera sub altera continetur, quotquot enim amicè componuntur, ut alterum suapte natura insit alteri, illa quidem non opponuntur, id vero perpetuo usu venit in subalternis propositionibus.

Est itaque propositionum subalternatio, quā *particularēs & singulare s Propositiones, sive illæ affirmantes sive negantes fuerint, in universalibus continentur*, ut aliquis homo est rationalis, Petrus est rationalis, continentur in isthac universalī. Omnis homo est rationalis. Et iterum ambæ istæ negantes, aliquis homo non est lapis, Petrus non est lapis, continentur in isthac negante, nullus homo est lapis.

Observa 1. *Propositionum Subalternationem semper oriundam esse, ex subalternatione subjectorum*, nempe particulare utpote singulare vagum, & singulare determinatum continentur in extensione universalis, sicut universale in idea essentiali singularis continentur, ut aliquis homo, & Petrus, continentur in extensione Hominis universalis, nempe homo, ad aliquem hominem & Petrum, extenditur, sicut homo universalis continentur in idea essentiali alijus hominis, & Petri.

Observa 2. *Si proposicio universalis affirmans, vel negans, vera fuerit, Propositiones particulares & singulares affirmantes subalternas, fore pariter veras: ut quia verum est omnem hominem esse rationalem, & nullum hominem esse lapidem, pariter & verum est, aliquem hominem esse rationalem, Petrum esse rationalem; aliquem hominem non esse lapidem, Petrum non esse lapidem.* Ratio est, quia propositiones universales affirmantes veræ, semper sunt in materia necessaria, hoc est, eatum attributum subiecto cohæret necessariō. Sed verò propositiones universales negantes falsæ, semper sunt in materia impossibili, hoc est, earum attributum numquam ac nusquam cohæret, vel cohærere potest subiecto. Hinc fit subalternas, veras vel falsas pariter esse, nempe veritatis indubia isthac axiomata sunt, *Quicquid necessariō convenit superiori, & necessariō inferiori convenit in serie categorica. Quicquid impossibile est cohærere cum superiore, & pariter impossibile est cohærere cum ipsius inferiori.*

Observa 3. *Si proposicio universalis affirmans, vel negans falsa fuerit, non sequi illicet particularem, vel singularem subalternam esse falsam.* Ut eti falsæ sunt ambæ istæ universalēs, omnis homo est medicus, nullus homo est medicus. Ista tamen subalternæ, non sunt falsæ, nempe aliquis homo est medicus, aliquis homo non est medicus. Ratio arcessenda iterum est ex qualitate materiæ, hoc est, subiecti & attributi propositionis, nempe propositiones universales, affirmantes & negantes falsæ, semper sunt in materia contingente, hoc est, earum attributum contingente habet cum subiecto connectionem, quippe est modus subiecti accidentarius, qui nec est in idea essentiali subiecti, nec ab ea proficit necessario, potest igitur singulari convenire, non vero ipsius universalis; supra enim partis primæ cap. 21, annotavimus, monos

dos communes accidentios primū convenire singularibus , & beneficio singularium universalibus , ut Homo est medicus , quia Hippocrates & Galenus est medicus , sed verò modi accidentarii communes ; et si singulari alicui conveniunt , non sequitur tamen omnibus etiam singularibus convenire , nempe singularia quævis , ratione suæ singularitatis seu existentia omnino invicem differunt , unde ab uno ad alterum , nulla est consecutio legitima , et si igitur aliquis homo nempe Hippocrates sit medicus , non sequitur omnem hominem esse medicum , aut Timonem Atheniensem esse medicum , vera itaque est ista propositio aliquis homo est medicus nempe Hippocrates , vera itidem ista , aliquis homo non est medicus , nempe Timon , earum tamen universales , nempe omnis homo est medicus , nullus homo est medicus , ambæ sunt falsæ , est enim indubia veritatis axioma . *Quicquid convenit inferiori , non convenit superiori.*

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Propositionum Oppositione.

Propositionum Oppositiō , est pugna duarum Propositionum , secundum affirmatiōnem & negationem ejusdem de eodem .

Logicorum vulgus , Propositionum Oppositionem facit quadruplicem , nimirum *Contrariam* , *Subcontrariam* , *Subalternam* , & *Contradictoriam* : sed verò acutūm intuitibus , gemina omnino est , nempe *Contraria* , & *Contradicторia* . Nempe quævis propositiō , vel est universalis affirmans , ut omnis rosa est flos ; vel universalis negans , ut nulla rosa est flos , quæ litteris A. & E. vel particularis affirmans , ut aliqua rosa est flos , vel particularis negans , ut aliqua rosa non est flos , quæ litteris I. & O. in Syllogismo significantur . Atenim et si universalis & particularis negans , universalitate & particularitate attributionis , differunt , non opponuntur tamen : sed amicè componuntur , nempe subiectum particularis , sub subiecto universalis continetur in serie categorica , & ideam habet ipsius essentialem , unde subalternæ sunt amicè composite . Denique subcontraria nimirum particularis affirmans , & particularis negans I. & O. et si prima fronte oppositæ videntur , reapse tamen non opponuntur secundum affirmationem & negationem ejusdem de eodem . Ratio est , quia nota particularitatis , *aliquis* , &c. singulare indeterminatum significat , unde in affirmante de uno , in negante , de altero , facile intelligi potest : ut , aliquis homo est justus , aliquis homo non est justus , nam in priore Christus , intelligi potest in posteriori verò Iudas . Verū si qui propositione particulari inter ratiocinandum utitur , prius monuerit , idem singulare subiectum se notâ particularitatis verbi gratia Christum , significare , tunc reapse oppositæ erunt & contradicentes , in iis enim idem affirmatur & negatur , de eodem subiecto singulati . Supereft itaque vera propositionum oppositio inter A. & E. hoc est , inter universalem affirmantem & universalem negantem , quæ *Contraria* Oppositio , dicitur & inter A. & O. E. & I. hoc est inter universalem affirmantem & particularem negantem , & inter universalem negantem & particularem affirmantem , quæ Oppositio *Contradicitoria* , discriminis ergò appellatur .

INSTITUTIONUM

Contraria Propositionum Opposito, est pugna duarum propositionum, secundum affirmationem & negationem universalem, ejusdem de eodem: ut omne corpus est substantia extensa, nullum corpus est substantia extensa. Vix dici potest cur potius contraria, quam contradictoria appellatur: nam altera, alteri contradicit, ut liquet. Una similitudo, quæ inter propositiones istiusmodi, & qualitates contrarias, cuiusmodi sunt, calor & frigus, intercedit; nomenclationis causa videtur, nempe sicut qualitates contrarie, mutuo fere expellunt ob omni subiecto capaci, non fecus & propositio universalis negans, quicquid affirmans subiecto tribuit, expellit ab eodem, arcetque procul.

Axiomata, Oppositionis Contrariae sunt.

Primum. *Contrariae propositiones, numquam simul veræ sunt, hoc est, in nulla materia, sive illa necessaria, sive impossibilis, sive contingens fuerit, ut omnis homo est animal, nullus homo est animal, omnis homo est lapis, nullus homo est lapis, omnis homo est justus, nullus homo est justus.* Ratio est, quippe impossibile est idem simul esse & non esse. Sed verò si ambæ contrariae simul forent veræ, idem simul esset, simulque non esset.

Secundum. *Contrariae Propositiones, numquam simul falsæ sunt in materia necessaria & impossibili, ut omnis homo est animal, nullus homo est animal; omnis homo est lapis, nullus homo est lapis.* Ratio est, quia in materia necessaria, attributum semper subiecto cohæret, unde affirmans universalis semper vera est; sed contraria in materia impossibili, numquam attributum subiecto potest cohædere, unde affirmans est semper falsa.

Tertium: *Contrariae Propositiones semper falsæ sunt in materia Contingente:* ut omnis homo est justus, nullus homo est justus. Ratio est, quia earum attributum modus accidentarius communis est, qui non convenit necessario, nedum subiecto universalis, sed verò si conveniat, subiecto singulari convenit, atenim à singulari ad universale, nulla est legitima consecutio, quicquid enim inferiori convenit non convenit & superiori, quare fieri potest, ut commune accidens, (quod semper attribuitur in propositionibus contingentibus,) alicui singulari eorum, quæ sub subiecto universalis continentur, conveniat, unde propositio universalis falsa est: sed quia non convenit necessario, utpote modus accidentarius, non convenit omni subiecto hoc est universalis, unde sequitur propositionem universalem esse falsam.

Contradictria Propositionum Oppositio est pugna duarum propositionum, secundum affirmationem & negationem universalem & particularem, ejusdem de eodem: ut omnis rosa est flos, aliqua rosa non est flos, nullus homo est lapis, aliquis homo est lapis.

Aristoteles de Elench. Sophist. lib. 2. c. 26. ad legitimam contradictionem s. conditiones requirit, 1. Τὰ τοῦτο εἰς τὸν, nempe ut sit affirmatio & negatio ejusdem de eodem, hæc vero in omni legitima oppositione requiritur. 2. Τὰ τοῦτο εἰς τὸν. Et secundum idem. 3. Τὰ τοῦτο εἰς τὸν. Σαδιδεῖ. 4. Τὰ τοῦτο εἰς τὸν, Εοδὲν μόνον, Εοδὲν τὸν. Εοδὲν τὸν, Εοδὲν τὸν. Si vel una earum desideretur, nulla est contradictionis; sed in conclusione syllogismus peccat ignoratione Elenchi. Unde sequitur has non esse contradicentes, Alexander fuit fortis, Alexander non fuit sobrius, nempe desideratur prima conditio, neque istas, Αἴθιος εἶται νίγρος, Αἴθιος εἶται νίγρος Christus

Christus est prior Abrahamo, Christus non est prior Abrahamo, Christus est Davidis Dominus, Christus non est Davidis Dominus, nempe desideratur secunda conditio scilicet *secundum idem*, hoc est secundum eamdem partem & naturam; Neque has. Quatuor sunt duplum, quatuor non sunt duplum; nempe desideratur tertia conditio, *ad idem*, hoc est eodem respectu; Neque istas Diaboli credunt, Diaboli non credunt; nempe desideratur quarta conditio, *eodem modo*, hoc est *sed* credere non affirmatur & negatur de Diabolis eodem modo; Neque istas Paulus fuit acerrimus hostis Christianorum, Paulus non fuit hostis Christianorum acer-
mus; nempe desideratur quinta conditio, *eodem tempore*.

Positis omnibus, ad legitimam contradictionem, conditionibus prærequisitis. 1. *duarum contradictientium propositionum, altera, est determinatè vera, & altera falsa;* vel in futuris contingentibus, in habitudine ad rem ipsam, et si in habitudine ad nos futuri nescios utra earum vera sit, incertum est. Ratio veritatis alterius & falsitatis itidem alterius contradicentis, ex hoc principio per se omnibus noto arcessenda est, nempe *impossibile est idem simul esse & non esse.* 2. *Oppositio contradictionia est omnium prima & maxima.* Ratio est, quia *esse & non esse*, quæ omnium maximè opposita sunt, in se habet, & in oppositione, Contraria eminenter continentur; nempe in hac propositione omnis homo est animal, tum hæc particularis, aliquis homo est animal, tum hæc singularis, Petrus est animal continetur, hæ vero, isti universalis contrarie, nullus homo est animal, contradicunt.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Propositionum Conversione.

Propositionis Conversio est mutatio subjecti in attributum, & attributi in subjectum, *salva veritate.*

Propositionum conversio, tergemina omnino est, nempe *simplex seu per se, per Accidens, & per Contrapositionem.*

Propositionis Conversio per se, est mutatio subjecti in attributum, & attributi in subjectum, servata eadem quantitate & qualitate, hoc est universalitate, vel particularitate, affirmatione, vel negatione: ut nullus homo est lapis, nullus lapis est homo, aliquis homo est doctus, aliquis doctus est homo &c.

Conversio per se, competit in propositionem universalem negantem, particularēm negantem, & particularem affirmantem. Et in universalem affirmantem, dummodo ipsius termini reciprocentur: ut nullus homo est lapis, nullus lapis est homo: aliquis homo non est lapis, aliquis lapis non est homo: aliquis homo est justus, aliquis justus est homo. Omne corpus est substantia extensa, & omnis substantia extensa est corpus. Sed vero si subjectum & attributum affirmantis haut in vicem reciprocantur, affirmans propositio, salva veritate haudquam potest converti per se; ut omnis homo est animal, non verè in hanc convertitur, omnis animal est homo. Ratio Conversionis, in clara luce ut constituantur.

Observare operæ præsum est. 1. *Fundamentum verae Conversionis esse idearum subjecti & attributi connectionem, vel separationem realem & mutuam:* nempe si idea ani-

INSTITUTIONUM

malis reapse connectitur cum idea hominis, idea pariter hominis mutuo conjungitur cum idea animalis. Unde fit, ut ambæ illæ ideae, vere possint affirmari de se invicem. Contrà verò si idea lapidis reapse non connectitur cum idea hominis, idea pariter hominis, revera non conjungitur cum idea lapidis, unde fit ut ambæ illæ ideae vere possint negari de se invicem.

Observare juvat. 2. *Ideam attributi semper affirmari de subjecto secundum omnes suos gradus essentiales*, ut cum dico, homo est animal, omnes gradus essentiales, qui comprehenduntur in idea animalis, attribuuntur homini. Ratio est, quia si quælibet pars essentialis rati animali detraheretur, natura animalis aboleretur, & animal non attribueretur homini: sed aliquid aliud; nempe *essentialia rerum, in se habent numerorum*, quibus aliquid, si adjiceris, vel detraxeris, numerus destruitur, & in aliam numeri speciem vertitur. Eadem veritas liquidò paret in propositionibus; quarum attributum, modus accidentarius subjecti est, ut ubi dico, homo est albus. Idea albedinis affirmatur de homine secundum omnes gradus essentiales albedini; nempe eadem ratione dico homo est coloratus, homo est qualis qualitate patibili, homo est qualis, homo est affectus accidente &c.

Observare est 3. *Ideam attributi non affirmari de idea subjecti secundum universalitatem attributi: sed secundum extensionem subjecti*. Ratio est, quia idea essentialis attributi, coarctatur & limitatur per ideam subjecti in qua continetur, ut ubi dico omnis homo est animal, aliquis homo est albus, idea animalis & albedinis coarctatur per ideam hominis, cui inest, nempe judico ideam animalis esse in idea cuiuslibet hominis, & ideam albedinis esse in idea alicujus hominis albi: sed non nego ideam animalis esse in aliis ab homine, scilicet in leone & equo; hoc est non judico omnem hominem esse omne animal; Nec pariter nego ideam albi, esse in aliis, ab illis hominibus albis. Hinc fit, ut propositio universalis affirmans, non possit vere converti per se, nisi termini sint reciprocí; ut ubi dico, omnis homo est animal, non possum pariter vere dicere, omne animal est homo, scilicet attributum propositionis affirmantis, coarctatur per subjectum secundum omnes gradus essentiales: sed non secundum suam extensionem seu universalitatem. Ratio est, quia veritatis indubiae est, cui convenit inferius & convenire omnia, quæ ipsi necessario, non vero, quæ accidentariò competunt: sed enim extensio ad plura subjecta, (quæ universalitas est,) non convenit necessariò attributo propositionis, ut non est de essentia animalis, inesse seu communicabile esse homini, leoni, equo &c.

Observa 4. *Fundamentum negationis legitimum esse, si unum minus omnia habeat, quæ habet alterum, et si ceterum, multa habet cum ipso communia*, ita vero nego leonem esse hominem, & vicissim hominem esse leonem, hoc modo, nullus Leo est homo, nullus homo est Leo; et si homo & Leo omnia habent communia essentialiter, præter suas differentias specificas, & quas ab illis, fluunt proprietates.

Observa 5. Hinc sequi, *Negantem propositionem non separare à subjecto, quicquid continetur in idea essentiali attributi: sed tantum integrum attributi ideam*, ut ubi dico nullus homo est leo, & nullus Leo est homo, integrum quidem ideam Leonis & hominis invicem separo, non vero quicquid est in idea essentiali hominis & Leonis, scilicet animal.

Observa 6. Hinc iterum sequi, *Negantem propositionem separare ideam attributi, ab*

LOGICARUM.

55

ab idea subiecti, secundum totam extensionem seu universalitatem attributi, ut cum dico nullus homo est Leo, nullus homo est lapis, leonem & lapidem ab homine separo, secundum totam universalitatem leonis & lapidis, hoc est significo nullum hominem continere in se ideam essentialiem & integrum leonis, & lapidis, atque adeo nullum hominem esse subiectum, cui idea leonis & lapidis, sit communicaibilis.

Observa 7. Hinc sequi *attributum negantis propositionis semper universaliter negari de subiecto*. Contrà quam fit in universalí affírmante, in qua attributum secundum totam suam universalitatem non affírmatur de subiecto, sed limitatum ad extensio nem subiecti.

Observa 8. Hinc sequi *propositionem universalem negantem verè converti per se*, ut nullus lapis est homo, nullus homo est lapis, non pariter propositionem particularem negantem: in materia contingente: ut aliquis homo non est medicus, non potest verè converti in hanc, aliquis medicus, non est homo. Ratio est, quia attributum, nempe medicum esse negatur universaliter de aliquo singulari homine. Et in conversione isthac, aliquis medicus non est homo, homo negatur universaliter de aliquo medico, quare homo attributum, non est idem atque subiectum nempe, *aliquis homo* in praecedenti propositione.

Conversio itaque per accidens est, *mutatio subiecti in attributum*, & *attributi in subiectum salva veritate & qualitate*: hoc est affirmatione, vel negatione, *sed quantitate*, hoc est universalitate, *mutata*: ut omnis homo est animal, verè convertitur in hanc, aliquod animal est homo, item nullus lapis est homo, vere convertitur in hanc aliquis homo non est lapis. Hinc sequitur *universalem affírmantem & universalem negantem posse converti per accidens*.

Conversio per Contrapositionem, est *mutatio subiecti in attributum & attributi in subiectum salva eadem veritate & quantitate: sed qualitate*, hoc est affirmatione vel negatione, *mutata*; ut omnis electus salvus erit, convertitur verè in hanc, omnis, qui non erit salvus, non est electus, item, aliqua rosa non est alba, convertitur in hanc, aliquid non album, est rosa. Hinc sequitur, *universalem affírmantem, & particularem negantem, converti per contrapositionem seu contradictionem, &c.*

Universam Conversionis doctrinam hi qualescumque versiculi complectuntur.

Simpliciter Feci convertit, Eva, per Acci-

Adsto, per Contrá, sic fit Conversio tota.

Quatuor vocales A, E, I, O. ut supra notavimus, Quantitatem & Qualitatem propositionum significant, A, universalem Affírmantem, I. particularem. E. universalem Negantem, O, particularem, significat. Feci itaque universalem negantem, & particularem affírmantem Eva, universalem negantem, & universalem affírmantem; Adsto universalem affírmantem, & particularem negantem, significat.

Regula generalis cui uslibet Conversionis Esto. *Totum subiectum in locum totius attributi, totumque attributum in locum totius subiecti, succedat.* Unde nullæ sunt conversiones sequentes. Nullus puer fuit senex, nullus senex fuit puer; omnis senex fuit puer; aliquis puer fuit senex. Amphitheatum est in urbe Nemauso. Urbs Nemausum est in Amphitheatro. Oculi sunt in facie, jacies est in oculis. Ratio est, quia attributum, non commutatur totum, verum conversio sic instituenda est. Nullus, qui est puer

puer fuit senex, nullus qui fuit senex est puer. Omnis qui est senex fuit puer, aliquis, qui fuit puer est senex. Amphitheatrum est in urbe. Aliquid quod est in urbe, est amphitheatrum. Oculi sunt in facie. Aliquid quod est in facie, sunt oculi.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

De Propositionum Aequipollentia.

Aquipollentia Græcis *ἰσοδύναμια* est duarum Propositionum æqualis valor, seu sensus idem: ut in absolutis, omnis homo non est medicus, aliquis homo non est medicus, æquipollent. Et in hypotheticis, quævis hypothetica ex conditione naturaliter impossibili, æquipolleth neganti; ut si flumina ad fontem revocaveris, si oceanum hauseris, si cœlum vertice tetigeris, mille aureos Philippicos, obtinebis, huic æquipolleth, mille aureos Philippicos, non obtinebis.



INSTI-

INSTITUTIONUM LOGICARUM

P A R S T E R T I A.

De Operatione mentis, quā ex ambobus Judiciis,
Tertium diversum elicit,

H O C E S T

DE MENTIS RATIOCINIO SEU SYLLOGISMO.

C A P U T P R I M U M.

De Necessitate & Natura Syllogismi.

Duo comprimis necessarium homini ratiocinium faciunt; nempe angusta mentis humanæ in dijudicanda veritate, vel falsitate aliquujus propositionis, capacitas, & mediata subjecti & attributi unde efflorescit, cohærentia, vel discohærentia. Quamobrem ubi nuda ambarum subjecti & attributi idearum consideratio, nobis vel aliis de veritate, vel falsitate propositionis, persuadendis, haut satis opportuna videtur, opus utique tertia quadam idea est, cum quā mediā ambæ sc. subjecti & attributi ideae, primum seorsim conferuntur, & pro cohærentia vel discohærentia, quæ mediæ ideae cum utraque, vel cum alterutra subjecti & attributi idea, intercedere videtur, mens concludit & colligit hujusmodi subjecti & prædicati ideas invicem cohærente, affirmando, vel non cohærente negando: verbi gratia, ubi quæritur utrum *corpus sit divisibile*; Elico ideam rei extensæ, & eam confero primum cum *divisibili*, quod necessario cohæret cum *extenso*, est enim ipsius quarto modo proprietas; unde affirmo, *omne extensum est divisibile*: secundo eam confero cum idea corporis, cui necessario cohæret, scilicet *extensio differentia est corporis specifica*; unde affirmo, *omne corpus est extensum*. Tandem ubi video ideam corporis & ideam *divisibilis* mutuo cohærente cum idea *Extensi*, colligo ideam corporis & divisibilis etiam cohærente invicem; unde concludo. *Omne corpus est divisibile*.

Hinc sequitur. 1. Propositionem, cuius veritas, vel falsitas nobis incerta est, vocari primum, *Quæstionem*, mox ubi ope ratiocinii certa & liquida est, vocari conclusionem. 2. Hinc sequitur in perfecto unoquoque Ratiocinio tria esse judicia, primum quidem, quo medium conjungitur, vel disjungitur attributo; secundum, quo medium conjungitur, vel disjungitur subjecto Quæstionis; & tertium, quod Quæstio judicata est, quo subjectum & attributum Quæstionis conjunguntur, vel disjunguntur. 3. Hinc sequitur, in unoquoque perfecto Ratiocinio tres esse terminos, nec plures nec pauciores; nimirum, subjectum & attributum Quæstionis

INSTITUTIONUM

seu Conclusionis, & medium , quo eorum connectio , vel separatio paret. Attributum *major terminus* appellatur, quippe majorem ut plurimum extensionem ad plura subjecta habet, quam ipsum Quæstionis subjectum. Subjectum itaque *minor terminus*, nempe minorem ut plurimum ad subjecta , extensionem obtinet, quam attributum. Unde fit, ut propositio, quæ ex attributo & medio, *major*, contrà vero, quæ ex subjecto & medio efflorescit, *minor* propositio nominetur. Hinc denique sequitur, fundamentum cuiusvis Ratiocinii esse geminum isthac axioma; *Quæ sunt idem in uno tertio, sunt idem seu convenientiunt inter se.* Contrà vero, *quæ mutuo non sunt idem seu non convenientiunt in uno tertio, ut alterum convenientiat, alterum verò non convenientiat, non sunt idem seu, non convenientiunt inter se.* Primo fundamento omnia ratiocinia affirmativa nituntur, secundo contrà, omnia negativa.

Ratiocinium itaque finiente Aristotele I. Prior. Analyt. c. i. Est *λόγος τοῦ περιττοῦ*. *τὸν περιττὸν περιττούντων οὐκέτις συμβαίνει τῷ περιττῷ εἶναι, Oratio in qua quibus positis, diversum quid à positis, eo quod talia sunt, necessariò sequitur.*

Συλλογισμὸς Græcis, ἐπὶ τοῦ οὐκέτις, quod plures numeros in unam summam, colligere est, originem duxit: nempe mens imitatur Arithmeticos, ubicumque ad ratiocinandum sese appellit; sicut enim plures numeros, in summam unam, illi colligunt; Non secus & mens ambas ratiocinii propositiones præmissas, in unam conclusionem colligit, quæ *ουκέτις* *connexio & complexio*, appellatur. Genus Syllogismi est Oratio mentalis, & vocalis, nempe Ratiocinium primum in mente est, postmodum autem in voce, ubicumque pro aliis in nostram sententiam pertrahendis, ratiocinamur.

Quæ anteponuntur in Oratione Syllogistica, ambæ propositiones sunt, quarum altera *major*, ob majorem, altera *minor*, ob minorem terminum , dicitur, & ambæ *præmissæ*, quòd conclusioni præmittantur. *Diversum*, quod ex propositionibus positis sequitur, conclusio est. Necesitas qua sequitur gemina est, altera *Consequentia*, *Consequentia* altera. Necesitas Consequentia est, *qua conclusio ex præmissis necessariò sequitur, cum propter dispositionem trium terminorum, tum propter dispositionem propositionum.* Atque hæc necesitas consequentia, in omni syllogismo stabulatur. Necesitas Consequentis est, *qua res ipsa natura posterior, ex re natura priore necessariò sequitur, propter inviolabili causæ necessariæ effectus connectionem.* Atque hæc necesitas consequentis, in uno syllogismo necessario, qui & demonstratio dicitur cur sit, appellatur, locum obtinet. Utramque necessitatem in necessario isthac ratiocino cernere est.

Omne extensum est divisibile.

Omne corpus est extensum,

Ergo omne corpus est divisibile.

Hæc conclusio, omne corpus est divisibile, necessariò sequitur ex præmissis, necessitate Consequentia, oriunda ex forma Syllogistica, hoc est, ex dispositione legitima trium terminorum & ambarum præmissarum. Sed & necessariò sequitur necessitate Consequentis; nempe tres termini *corpus*, *divisibile*, & *extensum*, res sunt nexo inviolabili cohærentes, ut *corpus* & *divisibile* ex *extenso*, uti effecta ex causa necessaria, necessariò profluant & corriventur.

Hinc sponte sequitur materiam, unde conflatur Syllogismus esse duplicem, *remoratam*

eam & proximam. Remota materies sunt tres termini, nempe, *major*, *minor*, & *medius*. Major est attributum quæstionis seu propositionis concludendæ, Minor ejusdem subjectum, Medius verò est tertium quid, fidem faciens attributum quæstionis subjecto inesse, vel non inesse. Proxima Syllogismi materies ambae sunt propositiones, unde colligitur conclusio. Hinc pariter sequitur formam Syllogismi esse geminam, *remotam alteram*, quæ trium terminorum legitima dispositio est, & *Figura* Syllogismi appellatur: *Proximam alteram*, quæ legitima ambarum propositionum dispositio est, & Syllogismi *modus* dicitur.

Sylogismorum Figura legitima omnino quadruplex est. Primam, secundam, & tertiam, Peripatetici acceptam referunt Aristotelii, unde Figuræ Aristotelicæ vulgo dicuntur. Quartam Galeno medico summo: sed perperam, quippe Aristoteles eam ante Galenum docuit, quod in disputationibus Logicis, solidis rationibus cum bono Deo addicemus. Singulæ Figuræ suos habent modos, de quibus infra in explicandis Figuris edisseremus.

CAPUT SECUNDUM.

De Fundamentis & regulis, quibus essentia Syllogismorum legitimorum innititur.

Quandoquidem legitimi cuiuslibet Syllogismi natura, terminis & propositionibus legitime dispositis constat, fundamenta, & regulas ad quas legitima Syllogismi natura exiguntur, ad terminos vel propositiones, ut spectet, necesse est.

Primum igitur fundamentum legitimi ratiocinii est. Quæ convenient in uno tertio, convenient inter se, & quorum unum cum uno tertio convenient, alterum verò non convenient, non convenient inter se. Tertium illud, medius terminus est; quæ convenient, vel non mutuo cum illo convenient Major & minor terminus sunt, hoc est attributum & subjectum quæstionis concludendæ.

Secundum Fundamentum est. In unoquoque Syllogismo tres sunt tantum termini, non æquivoci. Hoc axioma fundamentale ex præcedenti necessario sequitur, & ratio ipsius est; quia ratiocinium opus mentis humanæ est, & medium ad hunc finem deputatum; nempe ut fidem faciat attributum quæstionis concludendæ subjecto inesse vel non inesse, scilicet quæstio propositio est veritatis, vel falsitatis dubiæ; quamobrem novus terminus accersendus est, qui sua connectione cum subjecto & attributo quæstionis, vel cum alterutro, fidem faciat attributum subjecto quæstionis inesse, vel non inesse. Unde tres termini efflorescunt, nempe subjectum, attributum quæstionis, & medius terminus, qua dirimitur quæstio, & certo concluditur attributum quæstionis inesse, vel non inesse subjecto. Hoc Fundamentale axioma, usque adeo late diffunditur, ut vix ullum falsi commatis Syllogismum reperias, in quo quatuor terminos non deprehendas.

Tertium. *Medius terminus conclusionem nungam ingreditur.* Unde perulgatum istud; medius concludere nescit. Ratio est; quia Syllogismi conclusio semper est quæstio concludenda; atenim omnis quæstio subjecto constat & attributo, quod de subjecto

affirmatur vel negatur; sed medius terminus, nec subjectum, nec attributum propositionis concludendæ est; sed tertium quid accitum ad fidem faciendam decoharentia, vel discoharentia subjecti & attributi propositionis concludendæ: non itaque in propositione concludenda, hoc est, in conclusione continetur. Præterea quando medium in utraque propositione modò cum attributo, modò cum subjecto cohæreat, vel discohæreat; utique si in conclusione foret, conclusio non esset diversum quid ab alterutra præmissarum, sed pura puta præmissarum altera. Unde quereretur non esse conclusionem, seu quæstionem ad concludendum propositam, quod plane absurdum est.

Quartum. *Medius terminus in alterutra saltem præmissarum universaliter usurpetur.* Ratio est; quia si in utraque particulariter usurpatus fuerit, non est opportunitum medium ad fidem faciendam attributum quæstionis inesse, vel non inesse subjecto, nempe particulare, cum sit singulare vagum, seu pars indefinita alicujus totius, nullam habet cohærentiam cum alio particulari: nimirum duo singularia semper differunt, & disjunguntur penes differentias suas singulares. Unde vitiosus est hujusmodi Syllogismus:

*Aliquis homo est justus,
Aliquis homo est latro,
Ergo aliquis latro est justus.*

Nempe, *aliquis homo*, in majore propositione singularem hominem significat, & iterum in minore alterum singularem hominem, diversum ab altero. Unde sequitur duo esse media, atque adeo quatuor terminos in ejusmodi Syllogismo, contra secundum fundamentum legitimi ratiocinii.

Quintum. *In tribus Figuris Aristotelicis major terminus semper est attributum conclusoris, & minor terminus subjectum;* sed verò in quarta Figura, *major terminus est semper subjectum, & minor terminus attributum conclusoris.* Id discriminis ex varia mediis termini dispositione cum subjecto & attributo propositionis concludendæ, arcescendum est.

Ad fundamenta Syllogismorum, quæ ad propositiones spectant, nunc accedimus.

Sextum. *Attributum propositionis affirmantis, affirmatur de subjecto secundum omnes gradus essentiales, qui in Idea attributi continentur: sed non secundum totam suam universalitatem sicutius subjecto extendatur.* Ratio est; quia attributi universalitas alia subjecta à subjecto propositionis respicit, & attributi universalitas non est ipsius gradus essentialis.

Septimum. *Attributum propositionis affirmantis de subjecto affirmatur secundum totam extensionem subjecti, et si de eo non affirmatur secundum totam suam extensionem, ut supra.* Ratio est; quia naturam habet unitam naturæ subjecti, unde sequitur & convenire omnibus, quibus subjectum convenit: ut in hac propositione; *omnis homo est animal, animal Petro & Paulo & cæteris singularibus convenit, quibus & homo convenit.*

Octavum, quod hinc sequitur est, *propositionis universalitas, vel particularitas unicè pendet ex universalitate, vel particularitate subjecti propositionis, non autem ex universalitate attributi, ut; omnis rosa est flos, universalis proppositio est; quia flos.*

flos rosæ attribuitur secundum totam universalitatem rosæ; sed aliquis homo est animal, particularis propositio est, et si animal attributum est universale; quia non attribuitur alicui homini universaliter, quia cum natura illius cohaeret, & in ea unitum coarctatur.

Nonum Propositionis negantis attributum à subiecto separatur secundum suam Ideam essentialē integrā; sed non secundum omnes gradus ipsi essentialēs: ut, in hac propositione nullus homo est Leo; Idea leonis essentialis integra separatur ab homine; sed non separatur secundum omnes gradus essentialēs leonis, nempe leo & homo conveniunt in natura entis, substantiæ, substantiæ corporeæ, viventis, & animalis.

Decimum. *Attributum propositionis negantis à subiecto semper separatur secundum totam suam universalitatem: ut in hac propositione nullus homo est leo, leo separatur ab homine secundum integrā suam universalitatem, hoc est, nullus eorum est, quibus natura leonis convenit, qui homini conveniat.*

Undecimum. *Propositiones omnes particulares & singulares in universalibus ejusdem naturæ continentur; sed contra universales in particularibus non continentur. Ratio est: quia subiectum propositionis universalis in sua universalitate complectitur subiectum propositionis particularis: sed contra subiectum propositionis particularis non continet in sua universalitate, (quia ea caret) subiectum propositionis universalis, et si ejus Ideam essentialē continet.*

Duodecimum Fundamentum, cui omnia Syllogismi legitimi fundamenta nintuntur, est: in omni legitimo Syllogismo conclusio in præmissarum alterutra comprehenditur, altera vero præmissarum illiusmodi comprehensionem significat & declarat; ut in hoc Syllogismo:

Omne extensum est divisibile,

Omne corpus est extensum,

Ergo omne corpus est divisibile.

Hæc conclusio, *omne corpus est divisibile*, continetur in majore propositione, *omne extensum est divisibile*: sed vero totidem verbis non continetur, nempe, nullo modo differet à conclusione, sed eminenter continetur in *extenso*; quia extensum in sua universalitate omne corpus comprehendit. Altera vero propositio nempe hæc minor, *omne corpus est extensum*, significat & declarat, conclusionem comprehendit in majore propositione. Idem paret liquido in hoc Syllogismo negante:

Nulla substantia spiritualis est divisibilis,

Omnis Angelus cœlestis est substantia spiritualis,

Ergo nullus Angelus cœlestis est divisibilis.

Isthæc conclusio, *nullus Angelus cœlestis est divisibilis*, continetur in hac propositione majore; *nulla substantia spiritualis est divisibilis*, & minor propositio, *omnis Angelus cœlestis est substantia spiritualis*, significat & ostendit hanc conclusionem, *nullus Angelus cœlestis est divisibilis*, comprehendi in hac, nulla substantia spiritualis est divisibilis.

R E G U L A.

1. In omni Syllogismo perfecto duæ sunt propositiones & conclusio. Quia omnis Syllogismus humanæ rationis medium est, quo demonstretur attributum quæstionis, hoc est, propositionis concludendæ inesse, vel non inesse subiecto per convenientiam.

tiam, vel disconvenientiam subjecti & attributi cum medio termino: Itaque necesse est, ut medius terminus bis affirmetur, vel semel affirmetur, semel negetur de subjecto, vel attributo propositionis concludenda, unde necessariò ambæ propositiones cooruntur, ex quibus tandem tertia, hoc est, concludenda propositio, elicetur.

2. Nullus terminus subrepatur in conclusionem, qui non fuerit in præmissis, vel magis universaliter in conclusione, quam in præmissis usurpetur. Ratio est; quia admisso novo termino in conclusione, 1. Conclusio non potest in præmissis contineri, nempe minus universale non continet magis universale, 2. Plus concluditur, quam erat concludendum, 3. Syllogismus constat quatuor terminis ut:

Arma sunt reddenda suo domino,

Ensis & spiculum sunt arma,

Ergo sunt reddenda domino suo furoso.

In hoc Syllogismo sunt quatuor termini. 1. Arma reddenda: 2. Domino suo: 3. Ensis & spiculum: 4. Domino furoso: nempe dominus, & dominus furiosus, duo distincta sunt, modo reali.

3. Ex propositionibus negantibus nulla legitima inferitur conclusio. Ratio est. 1. Quia distinctio duorum ab uno tertio, non est causa distinctionis eorum inter se, verbi gratia, distinctio hominis & rationalis ab equo, non est causa distinctionis hominis & rationalis inter se; nam etsi verum est, quæ convenient in uno tertio, convenient inter se, non tamen verum est, quæ non convenient in uno tertio, non convenient inter se; sed quidem verum est, quorum unum convenient cum uno tertio, alterum vero non convenient, illa non convenient inter se: 2. Quia cum solidum ratiocinii fundamentum sit mutua convenientia subjecti & attributi questionis cum medio termino, vel sicut alterutrius, necesse utique est, ut in legitimo syllogismo vel ambæ, vel alterutra præmissarum sint affirmantes, ut convenientia mediæ termini cum subjecto, vel attributo questionis, vel cum alterutro, demonstretur. Unde Syllogismus sequens vitio laborat:

Nullus lapis est rationalis,

Nullus homo est lapis,

Ergo nullus homo est rationalis.

Videtur tamen ex præmissis negantibus legitima inferi conclusio, quando medium Syllogismi est infinitum, ut:

Quidquid non est homo, non est rationale,

Sed nullus lapis est homo,

Ergo nullus lapis est rationalis.

Verum etsi ejusmodi Syllogismi, quorum medium est infinitum, ex propositionibus negantibus prima fronte conflati videntur, ex affirmantibus reapse conflantur, nempe propositio infinita æquivalet affirmanti, & major isthæc quidquid non est homo, non est rationale, isti æquivalet, omne non homo est non rationale, & minor ista, nullus lapis est homo, æquivalet isti, omnis lapis est non homo, & conclusio hæc, nullus lapis est rationalis, æquivalet isti, omnis lapis est non rationale: unde efforescit hic Syllogismus ex veris affirmantibus infinitis:

Omne

Omne non homo est non rationale,

Omnis lapis est non homo,

Ergo omnis lapis est non rationalis.

REGULA.

Ex positionibus particularibus non infertur legitima conclusio. Ratio est; 1. Quia quatuor sunt termini in illo ex particularibus propositionibus ratiocinio. 2. Quia nullum habet medium terminum, nempe, particulare utpote reapse singulare, non potest cohædere cum alio particulari, nisi per medium aliquod universaliter usurpatum. Unde Syllogismus sequens vitio laborat:

Aliquis homo est sapiens,

Aliquis stultus est homo,

Ergo aliquis stultus est sapiens.

Hic quatuor sunt termini, nempe *stultus, sapiens, & aliquis homo*, qui bis diversimode usurpatur; Nam in majore potest significare Christum; sed in minore significat hunc aut illum Atheum: nam homo in minore coartatur per stultum. Unde liquet, nullum esse medium terminum, nempe medius terminus unus & idem in præmissis affirmantibus connecti debet cum utroque extremo.

Verum queritur, utrum ex singularibus præmissis legitima inferatur conclusio. Respondemus, ita, & non. Ita, si idem fuerit subjectum singulare in utraque præmissarum. Unde hic Syllogismus, quem vocant expositorum, legitimus est.

Iesus Christus est Rex,

Iesus Christus est summus Pontifex,

Ergo aliquis Rex est summus Pontifex.

Ratio gemina est; 1. Quia in ejusmodi Syllogismo tres sunt tantum termini, 2. Quia propositiones singulares convenient cum propositionibus universalibus; quippe singulare subjectum secundum totam suam extensionem, hoc est, sine ulla exceptione in propositionibus singularibus usurpatur, uti observavimus part. 2. cap. 5. ad finem. Sed vero respondemus, non, nempe, si subjectum singulare Syllogismi *Expositoris* sit diversum in præmissis, nempe tunc ex quatuor terminis coalefcit. Unde vitio laborat hic Syllogismus:

Alexander fuit eversor Imperii Persici,

Scipio fuit eversor Imperii Carthaginensis,

Ergo Alexander fuit Scipio.

Hic & quatuor termini sunt, & nullus est verus medius terminus, qui in præmissis affirmantibus cohæreat cum utroque extremo.

REGULA.

Conclusio semper sequitur deteriorem partem, hoc est, si præmissarum altera fuerit negans, vel particularis, conclusio debet esse negans vel particularis. Propositio negans affirmante deterior est, quia præstat esse, quam non esse, nempe, propositio affirmans significat perfectionem entis inesse subiecto; sed propositio negans significat entis perfectionem esse à subiecto remotam, quæ si minus subiecti perfectione fuerit, tunc propositio negans nullam subiecto attribuit perfectionem, contrà verò pro-

Et propositio affirmans gradum aliquem perfectionis subiecto tribuit. Propositio particularis, universalis posterior est, quia *omne* est *aliquo praestantius*, nempe *omne, universam complectitur particularium perfectionem*; sed contra *particulare, aliorum particularium perfectionem non comprehendit*. Rationem plerique omnes Philosophi hanc perhibent, nempe effectum non esse nobilis sua causa; sed verò conclusio foret nobilior altera præmissarum causâ suâ, si affirmans vel universalis foret, ubi præmissarum altera est negans, vel particularis. Hanc rationem nauci facimus.

1. Quia effectus potest esse nobilior sua causa partiali & æquivoca, cujusmodi est præmissarum altera in habitudine ad conclusionem. 2. Quia ratione magis consentaneum videtur, ut causa nobilior magis & nobilis in effectum influat, quam causa deterior, ut equorum bijugum validior fortius trahit currum, quam debilior. Vera itaque regulæ ratio est; quia si violetur regula, Syllogismus coalescit ex quatuor terminis, ut:

Omnis Musicus novit proportionem sonorum,

Aliquis homo est Musicus,

Ergo omnis homo novit proportionem sonorum.

Hic quatuor sunt termini, *Musicus, novit proportionem sonorum, aliquis homo, & omnis homo.*

REGULA.

Ex veris præmissis vera sequitur conclusio, modò Syllogismus in forma legitima fuerit. Si negatur, ex veris præmissis conclusio falsa colligi potest, ut:

Omnis homo est animal,

Nullus equus est homo,

Ergo nullus equus est animal.

Ratio est; quia ubi Syllogismus non est in forma legitima, duo sunt medii termini, ut liquet in precedentibus, nempe *homo* in majore propositione, & *non homo* in minore; nam isthac propositio *nullus equus est homo*, illi æquipollit, *omnis equus est non homo.*

REGULA.

Ex falsis præmissis trifariam vera conclusio colligi potest.

1. *Ex falso antecedente affirmato sequi potest verum affirmatum, ut:*

Omnis homo est leo,

Ergo omnis homo est animal.

2. *Ex antecedente falso negato, sequitur vera conclusio negans, ut:*

Nullus homo est animal,

Ergo nullus homo est leo.

3. *Ex antecedente affirmante falso, sequitur conclusio vera negans, ut:*

Omnis homo est equus,

Ergo nullus homo est leo.

C A-

CAPUT TERTIUM.

De natura & modis, regulis & fundamentis primæ figuræ.

Prima figura est, trium terminorum dispositio legitima, qua medius terminus est subjectum in majore, & attributum in minore propositione, ut:

Omne animal est sensitivum,

Omnis homo est animal,

Ergo omnis homo est sensitivus.

Prima figura quatuor habet modos, seu diversas propositionum dispositiones nempe, BARBARA, CELARENT, DARII, FERIO; hi verò tribus constant syllabis, tribusque vocalibus, quæ tribus propositionibus significandis inserviant, & ut supra monuimus, A, universalem affirmantem, E, universalem negantem, I, particularem affirmantem, O. particularem negantem propositionem significat.

BARBARA, est modus primæ Figuræ, quo ex majore propositione universalis affirmante, in qua medius terminus subjicitur, & ex minore universalis affirmante, in qua medius terminus attribuitur, colligitur conclusio universalis affirmans, ut:

BAR. { *Omne extensum est divisibile,*

BA. { *Omne corpus est extensum,*

RA. { *Ergo omne corpus est divisibile.*

CELARENT, est modus primæ figuræ, quo ex majore universalis negante, in qua medius terminus subjicitur, & ex minori universalis affirmante, in qua medius terminus attribuitur, colligitur conclusio universalis negans, ut:

CE. { *Nullus lapis est sensitivus,*

LA. { *Omnis Adams est lapis,*

RENT. { *Ergo nullus Adams est sensitivus.*

DARII, est modus primæ figuræ, quo ex majore universalis affirmante, in qua medius terminus subjicitur, & ex minore particulari affirmante, in qua medius terminus attribuitur, colligitur conclusio particularis affirmans, ut:

DA. { *Omne malum est fugiendum,*

RI. { *Aliqua voluptas est mala,*

I. { *Ergo aliqua voluptas est fugienda.*

FERIO, est modus primæ figuræ, quo ex majore propositione universalis negante, in qua medius terminus subjicitur, & minore particulari affirmante, in qua medius terminus attribuitur, colligitur conclusio particularis negans, ut:

FE. { *Nullus Sacilegus est beatus,*

RI. { *Aliquis Apostolus fuit Sacilegus,*

O. { *Ergo Aliquis Apostolus non fuit beatus.*

REGULÆ.

1. In Syllogismis primæ figuræ minor semper affirmans esto. Intuenti quatuor ipsius modos liquidò paret. Ratio est, quia, si foret negans, major foret semper affirmans, quandoquidem ex duabus negantibus nulla infertur legitima conclusio;

sed & conclusio foret negans, quippe quæ detersorem partem sequitur. Unde juxta fundamenta syllogismorum generalia, major terminus universaliter usurparetur in conclusione negante & particulariter in majore, in qua attributum est in prima figura; tunc autem à particulari ad universale ducetur conclusio, quæ nulla est uti observavimus in fundamentis Syllogismorum generalibus. Concludimus igitur minorem in prima figura semper esse affirmantem.

2. In prima figura major propositio semper universalis est: ut Modos ipsius intuenti liquet. Ratio est, quia medius terminus in minore semper affirmante juxta præcedentem regulam, semper etiam particulariter usurpat, hoc est, coarctatus in subiecto, uti annotavimus in generalibus Syllogismorum fundamentis. Unde sequetur ambas præmissas esse particulares, si quando major particularis foret. Atenim ex ambabus præmissis particularibus legitima conclusio haudquam colligitur. Concludimus itaque in Syllogismis primæ figuræ majorem propositionem esse semper universalē.

Fundamenta primæ Figuræ.

1. Modorum affirmantium fundatum. *Quidquid convenit omni subiecto, omnibus sub illo contentis convenit.* Id fundamenti alii vocant regulam, dici de omni, hoc est, quicquid inest necessariò superiori in serie categorica & de eo dicitur, necessariò omni illius inferiori pariter inest & de eo dicitur, verbi gratia, quia extensum esse, inest & convenit omni corpori, pariter & inest convenitque omnibus sub corpore contentis, nimurū lapidi, arbori, leoni, equo, monti, homini & ceteris. Item, quia Idea essentialis animalis convenit omni homini, pariter & convenit Europeis, Afris & Americanis, singulisque hominibus. Unde formantur legitima ista ratiocinia.

- | | |
|------|--|
| BAR- | <i>{ Omne corpus est extensum,</i> |
| BA- | <i>{ Omnis homo est corpus</i> |
| RA. | <i>{ Ergo omnis homo est extensus.</i> |
| DA- | <i>{ Omnis homo est animal,</i> |
| RI- | <i>{ Europaeus est homo,</i> |
| I. | <i>{ Ergo Europaeus est animal.</i> |

2. Quo modi negantes primæ figure nituntur. *Quicquid nulli superiori convenit, nulli pariter ipsius inferiori convenit.* Id fundamenti alii vocant regulam dici de nullo, hoc est, Quicquid nulli superiori convenit & de nullo verè dicitur, pariter de nullo inferiore illius verè dici potest: verbi gratia, quia *indivisible esse*, nulli corpori convenit; sed ab omni corpore necessariò discohæret; quia omne corpus necessariò extensum & divisibile est, & *indivisible esse*, pariter nulli animali & homini inferioribus ejus in serie categorica, convenit, aut de eo verè dici potest; non convenit itaque Christo homini, qui in serie categorica uti inferior superiori, corpori seu substantiæ corporeæ subsidet. Unde Christus non potest verè esse aut dici *indivisibilis* in Eucharistia. Pariter, quia arbor negatur de omni animali, & verè negatur de omni homine: unde formantur hæc ratiocinia legitima;

CE- $\left\{ \begin{array}{l} \text{Nullum corpus est indivisibile,} \\ \text{Christus in Eucharistia est corpus,} \end{array} \right.$
 LA- $\left\{ \begin{array}{l} \text{Christus in Eucharistia est corpus,} \\ \text{RENT. Ergo Christus in Eucharistia non est indivisibilis.} \end{array} \right.$

FE- $\left\{ \begin{array}{l} \text{Nullum animal est arbor,} \\ \text{RI- Aliquis homo est animal,} \\ \text{O. Ergo aliquis homo non est arbor.} \end{array} \right.$

CAPUT QUARTUM.

De natura & modis, regulis & fundamentis secundæ figuræ.

Secunda Figura est trium terminorum dispositio legitima, qua medius terminus in utraque præmissarum attribuitur.

Modos habet quatuor nimirum CESARE, CAMESTRES, FESTINO, BAROCO.

CESARE, est modus secundæ Figuræ, quo ex majore universali negante, & minore universali affirmante, in quibus medius terminus attribuitur, conclusio universalis negans colligitur, ut:

CES- $\left\{ \begin{array}{l} \text{Nulla stella definit lucere,} \\ \text{A- Omnis Cometa definit lucere,} \\ \text{RE. Ergo nullus Cometa est Stella.} \end{array} \right.$

CAMESTRES, est modus secundæ Figuræ, quo ex majore universali affirmante, & minore universali negante, in quibus medius terminus attribuitur, conclusio universalis negans colligitur, ut:

CAM- $\left\{ \begin{array}{l} \text{Omnis Cometa definit lucere,} \\ \text{ES- Nulla stella definit lucere,} \\ \text{TRES. Ergo nulla Stella est Cometa.} \end{array} \right.$

FESTINO, est modus secundæ Figuræ, quo ex majore universali negante, & minore particuli affirmante, in quibus medius terminus attribuitur, conclusio particularis negans colligitur, ut:

FES- $\left\{ \begin{array}{l} \text{Nullus nycticorax loquitur,} \\ \text{TI- Aliquis psittacus loquitur,} \\ \text{NO. Ergo aliquis psittacus non est nycticorax.} \end{array} \right.$

BAROCO, est modus secundæ Figuræ, quo ex majore universali affirmante, & minore particuli negante, in quibus medius terminus attribuitur, conclusio particularis negans colligitur, ut:

BA- $\left\{ \begin{array}{l} \text{Omne animal est sensitivum,} \\ \text{RO- Aliquis Borametz non est sensitivus,} \\ \text{CO. Ergo aliquis Borametz non est animal.} \end{array} \right.$

Regulæ Secundæ Figuræ.

i. *Ex duabus præmissis affirmantibus nulla colligitur conclusio legitima in secunda Figura, nisi termini sint reciprocí. Ratio est, quia secunda Figura humanae rationis medium est, comparatum ad diuersas naturas subiecti & attributi in Syllogismi conclusione*

sione separandas, ut in rerum natura reapse separantur. Unde hic Syllogismus est spurius.

*Omnis homo est sensitivus,
Omnis bubo est sensitivus,
Ergo omnis bubo est homo.*

Atenim si termini syllogismi reciprocentur ex ambabus præmissis affirmantibus, vera conclusio colligitur in secunda Figura, non equidem vi & ratione formæ syllogisticae, sed vi & ratione materiae necessariae, hoc est, inviolabilis connectionis majoris & minoris termini, hoc est, attributi & subjecti conclusionis, quum inter se, tum cum medio termino, ut:

*Omne rationale est disciplinæ capax,
Omnis homo est disciplinæ capax,
Ergo omnis homo est rationalis.*

Nempe *rationale*, & *homo*, inviolabilem habent tum inter se, tum cum *disciplinæ capaci*, medio termino, connectionem. Hinc sequitur.

2. Regula. *In secunda Figura altera præmissarum sit semper negans*. Ratio est, quippe si ambae forent affirmantes, medius terminus, qui in utraque attribuitur & semper particulariter usurparetur, ut in generalibus syllogismorum fundamentis observavimus, quapropter duo forent medii termini; quod enim particulariter usurpat modo pro altera parte totius, modo pro altera usurpari potest, non itaque unum & idem est, nec officio medii termini fungitur, quamobrem quatuor termini sunt in Syllogismo ex puris affirmantibus in secunda Figura, & nullus est verus medius terminus.

3. *Præmissarum major sit semper universalis*. Id liquet intuenti in omnes secundæ Figuræ modos. Ratio est; quia conclusio semper est negans ex altera præmissarum negante, in ea igitur major terminus semper universaliter usurpat, uti observavimus in generalibus syllogismorum fundamentis; sed verò major terminus in secunda Figura semper subjectum est majoris propositionis, debet igitur universaliter usurpari in majore propositione. Unde sequitur majorem propositionem esse semper universalem in secunda Figura.

Fundamentum Syllogismorum in Cesare & Festino.

I. *Quicquid negatur universaliter de superiori, etiam universaliter negatur de inferiori in serie categorica*. Ut quia arbor negatur universaliter de omni animali, & universaliter negatur de omni homine & bruto. Unde oriuntur legitima isthæc rationes.

CES- { Nulla arbor est animal,
A- { Omnis homo est animal,
RE. { Ergo nullus homo est arbor.

FES- { Nullum vitium est virtus,
TI- { Aliqua parsimonia est virtus,
NO. { Ergo aliqua parsimonia non est vitium.

Fundamentum Syllogismorum in Camestris
& Baroco.

2. De quocunque negatur universaliter superioris, de eo etiam negantur ipsius inferiora in serie categorica: ut de quocunque universaliter negatur animal, & de eo negantur homo & brutum. Unde oriuntur legitima isthac ratiocinia.

CAM. { Omnis homo est animal,
ES. } Nullus lapis est animal,
TRES. } Ergo nullus lapis est homo.

BA. { Omnis Leo est animal,
RO. } Aliquis lapis non est animal,
CO. } Ergo aliquis lapis non est Leo.

CAPUT QUINTUM.

De Natura & modis, regulis & fundamentis tertiae Figuræ.

Tertia Figura est, legitima trium terminorum dispositio, qua medius terminus inter utraque præmissarum est subiectum.

Sex modos habet, nempe, Darapti, Felapton, Disamis, Datifi, Bocardo, Fesison.

Darapti, est modus tertiae Figuræ, quo ex majore universaliter affirmante, & minore universaliter affirmante, in quibus medius terminus subjicitur, conclusio particularis affirmans colligitur, ut:

DA- { Omnis flos est insensitivus,
RAP- } Omnis flos marcescit,
TI. } Ergo aliquid marcescens est insensitivum.

Felapton, est modus tertiae Figuræ, quo ex majore universaliter negante, & minore universaliter affirmante, in quibus medius terminus subjicitur, conclusio particularis negans colligitur, ut:

FE- { Nullus Angelus è cælo est corpus,
LAP- } Omnis Angelus è cælo est substantia,
TON. } Ergo aliqua substantia non est corpus.

Disamis, est modus tertiae Figuræ, quo ex majore particulari affirmante, & minore universaliter affirmante, in quibus medius terminus subjicitur, colligitur conclusio particularis affirmans, ut:

DIS- { Aliqua stella in signo Cassiopeæ recens in firmamento apparuit,
AM- } Omnis stella in firmamento est fixa,
IS. } Ergo aliquid fixum in firmamento recens apparuit.

Datifi, est modus tertiae Figuræ, quo ex majore universaliter affirmante, & minore particulari affirmante, in quibus medius terminus subjicitur, conclusio colligitur particularis affirmans, ut:

INSTITUTIONUM

DA- { *Omnis Dei servus est Rex,*
 TIS- { *Aliquis Dei servus est pauper,*
 I. { *Ergo aliquis pauper est Rex.*

Bocardo, est modus tertiae Figuræ, quo ex majore particulari negante, & minore universaliter affirmante, in quibus medius terminus subjicitur, conclusio colligitur particularis negans, ut :

BO- { *Aliqua ira non est vituperanda,*
 CAR- { *Omnis ira est passio animi,*
 DO. { *Ergo aliqua passio animi non est vituperanda.*

Ferison, est modus tertiae Figuræ, quo ex majore universaliter negante, & minore particulariter affirmante, in quibus medius terminus subjicitur, conclusio colligitur particularis negans, ut :

FE- { *Nullus reprobus salvabitur,*
 RIS- { *Aliquis reprobus est professione Christianus,*
 ON. { *Ergo aliquis professione Christianus non salvabitur.*

Regulæ Tertiæ Figuræ.

I. *Syllogismorum tertiae Figuræ minor est semper affirmans.* Regulæ veritas liquido patet intuenti sex modos tertiae Figuræ. Ratio est; quippe si minor propositio in tertia Figura foret negans, quando ex ambabus præmissis negantibus, nulla inferatur legitima conclusio, major eapropter foret affirmans; sed enim conclusio tunc negans esset, quippe quæ partem deteriorem semper sequitur, atque adeo major terminus, qui in conclusione attributum est, universaliter usurparetur in conclusione pro indeole propositionum negantium, ut observatum est in generalibus syllogismorum fundamentis; sed vero idem major terminus, qui pariter in majore attributum est, in ea affirmante particulariter usurparetur, hoc est, coarctatus per subjectum, ut observatum est in generalibus Syllogismorum fundamentis; Quamobrem bifariam in præmissis usurparetur, nimirum particulariter in majore, & universaliter in conclusione, forent itaque quatuor termini, & plus in conclusione contineretur, quam in præmissis, imo falsa conclusio ex veris præmissis colligetur, ut liquet in hoc Syllogismo:

Omnis papaver est flos,
Nullum papaver est rosa,
Ergo nullarosa est flos.

Conclusio est falsa ex veris præmissis ut liquet, & *Flos major terminus* in conclusione universaliter negatur de rosa, juxta indeolem negantium propositionum; sed vero in majore *flos* non affirmatur universaliter de papavere, hoc est, eti affirmatur de papavere secundum totam universalitatem papaveris, non tamen affirmatur secundum totam suam universalitatem, de papavere; sed coarctatus in papavere; idcirco *flos* bifariam usurpat; nempe particulariter in majore, hoc est, coarctatus in papavere; sed universaliter in conclusione de rosa negatur, sunt itaque quatuor termini, & plus continetur in conclusione, nempe *flos* secundum tam

tam suam universalitatem usurpatus, quam in majore, ubi flos coarctatus, in pavere usurpatur.

2. *Syllogismorum tertiae Figuræ conclusio semper particularis est.* Id liquet intuenti in omnes modos tertiae Figuræ. Ratio est; quia cum propositio minor semper sit affirmans, juxta regulam præcedentem; minor terminus ipsius attributum particulariter usurpatur, juxta naturam propositionum affirmantium. Fac verò conclusionem esse universalem, idemmet minor terminus (qui semper subjectum est in conclusione trium figurarum Aristotelicarum) universaliter usurparetur in conclusione universali; bifariam itaque usurparetur, & conclusio universalis ex aliqua particulari eliceretur, quamobrem non contineretur in præmissis; quippe universalis non continetur in particulari, uti liquet in hoc syllogismo.

Nullum papaver est rosa,
Omne papaver est flos,
Ergo nullus flos est rosa.

Conclusio universalis est falsa, & flos minor terminus in conclusione universaliter usurpatur; sed in minore usurpatur particulariter, nempe, coarctatus in papaver.

Fundamentum primum modorum affirmantium tertiæ Figuræ.

Quoties subjectum & attributum quaestioniis verè affirmantur de medio termino; quia in eo convenient, etiam de se invicem particulariter affirmari possunt. Ratio est; quia, quæ convenient in uno tertio, etiam aliquando convenient inter se; nimis ubi convenient in illo tertio; ergo possunt aliquando, hoc est, particulariter, de se invicem affirmari. Atenim medius terminus in præmissarum alterutra semel debet universaliter usurpari, nempe si bis particulariter usurparetur, & haberetur pro rebus diversis, non igitur foret unus & idem medius terminus, sed geminus.

Fundamentum secundum modorum negantium tertiæ Figuræ.

Quoties subjectum vel attributum quaestioniis ita comparata sunt, ut alterum cohæreat cum medio termino, alterum verò non cohæreat, sequitur non semper cohærere inter se, atque adeo unum posse negari particulariter de altero. Ratio est; quia aliquando non cohærent inter se, nimis ubi ambo non cohærent cum medio termino. Atenim medius terminus universaliter, ut minimum, semel usurpari debet; nempe si bis, hoc est, in utraque præmissarum particulariter usurparetur, & haberetur pro rebus diversis, non itaque foret unus & idem medius terminus, sed geminus.

CAPUT SEXTUM.

De natura & modis, regulis & fundamentis quartæ Figuræ.

Quartæ Figuræ, est legitima trium terminorum dispositio, qua medius terminus est attributum in majore, & subjectum in minore.

Modos habet quatuor, nimirum Attala, Galene, Pirali, Viredo.

Attala est modus quartæ Figuræ, quo ex majore universali affirmante, in qua medius terminus attribuitur, & minore universali affirmante, in qua medius terminus subjicitur, conclusio colligitur universalis affirmans, ut:

- | | |
|-----|------------------------------------|
| AT- | { Omne animal est corpus, |
| TA- | { Omne corpus est substantia, |
| LA. | { Ergo omne animal est substantia. |

Galene, est modus quartæ Figuræ, quo ex majore universali affirmante, in qua medius terminus attribuitur, & minore universali negante, in qua medius terminus subjicitur, conclusio colligitur universalis negans, ut:

- | | |
|-----|------------------------------------|
| GA- | { Omne animal est corpus, |
| LE- | { Nullum corpus est Spiritus, |
| NE. | { Ergo nullum animal est Spiritus. |

Pirali, est modus quartæ Figuræ, quo ex majore particulari affirmante, in qua medius terminus attribuitur, & minore universali affirmante, in qua medius terminus subjicitur, conclusio colligitur particularis affirmans, ut:

- | | |
|-----|--------------------------------------|
| PI- | { Aliqua voluptas est vituperanda, |
| RA- | { Omne vituperandum est fugiendum, |
| LI. | { Ergo aliqua voluptas est fugienda. |

Viredo, est modus quartæ Figuræ, quo ex majore particulari affirmante, in qua medius terminus attribuitur, & minore universali negante, in qua medius terminus subjicitur, conclusio colligitur particularis negans, ut:

- | | |
|-----|---|
| VI- | { Aliqua laurus est arbor, |
| RE- | { Nulla arbor est sensitiva, |
| DO. | { Ergo aliqua laurus non est sensitiva. |

Prima & Quarta Figura convenient. 1. Quippe sicut modi quartæ Figuræ commutatione majoris propositionis in locum minoris, in modos primæ Figuræ facile converti possunt. Non secus & modi primæ Figuræ eadem commutatione pariter in modos quartæ Figuræ vertuntur. 2. Ratione usus, nimirum quarta usus universalis est scilicet opportuna ad quamlibet quæstionem, sive universalis affirmans, sive universalis negans, seu particularis affirmans, seu particularis negans fuerit, concludendam, non secus atque prima Figura: quod liquido paret intuiti in singulos illarum figurarum modos. 3. Conveniunt quippe earum Syllogismi exiguntur ad regulas dici de omni, & de nullo. Regula dici de omni significat, quidquid verè dicitur de

supe-

categorica, & verè dici de omni illius inferiori, ut, quia animal verè dicitur de homine, & vere etiam dicitur de omnibus inferioribus hominis, Petro, Paulo & ceteris. Regula dici de nullo significat, quidquid verè de superiori non dicitur, quippe naturam habet plane ab ipso diversam, etiam de nullo illius inferiori verè dici posse, ut exempli gratia, quia *in dividibile esse*, de nullo corpore verè dici potest, etiam verè dici non potest de ullo ejus inferiori, puta de animali, homine & bruto. Unde sequitur Christum quia homo est, nullibi posse esse indivisibilem, inextensum, inexistentem & indivisibiliter, nedum in Eucharistia. 4. Sed vero differunt. 1. Quippe medius terminus in prima Figura est subiectum in majore, & attributum in minore: contrà in quarta Figura medius terminus est attributum in majore & subiectum in minore. 2. Quippe major terminus in prima Figura, uti & in secunda & tertia, semper est attributum in conclusione, & minor terminus semper subiectum: contrà in figura quarta, major terminus est semper subiectum in conclusione, & minor terminus attributum. Insignes istae differentiae ex fundamento syllogismorum quartæ Figura originem ducunt. Istud vero fundamentum hanc tertiam constituit differentiam, quamobrem 3. differunt, quippe mens in prima Figura inter ratiocinandum procedit, descendendo à superioribus ad inferiora, hoc est, ab universalibus ad minus universalia: contrà verò in quarta figura, mens inter ratiocinandum procedit ascendendo, ab inferioribus ad superiora, hoc est, à minus universalibus ad universaliora. 4. Denique differunt ratiocinii facilitate & evidentia; nempe Figura quarta est longe facilior & evidentior primâ. Ratio est; quia facilius & evidentius ratiocinamur à notioribus nobis ad ignotiora. Hic enim finis est, legitimi cujuslibet ratiocinii, est enim medium, quo à nobis aliisque notioribus, ad notitiam ignotiorum grassamur. Atqui certum est, quo aliquid est inferius in serie categorica, magisque ad singulare seu existens accedit, hoc nobis ratiocinantibus longè esse evidenterius atque certius.

REGULÆ.

1. *Syllogismorum quartæ Figuræ minor est semper universalis affirmans, vel negans.*
 Id licet intuenti quatuor illius modos. Ratio est; quia medius terminus, minoris propositionis semper subiectum, semel, ut minimum, universaliter usurpari debet: nam si bis in præmissis particulariter usurparetur & pro rebus diversis merito jure haberetur; non itaque medius foret terminus, qui pro officio suo cum subiecto & attributo quæstionis, vel cum alterutro cohærere debet. Fac verò minorem propositionem fore particularem, etiam ipsius subiectum, nempe medius terminus, particulariter usurparetur: atenim & particulariter usurparetur in majore, quæ semper est affirmans, ut in secunda regula demonstrabitur: nam in propositione affirmante attributum particulariter usurpatur, hoc est, coarctatum in subiecto, ut in fundamentis syllogismorum generalibus observavimus. Unde sequeretur medium terminum bis particulariter usurpari, si minor propositio foret particularis. Concludamus igitur, minorem propositionem esse semper universalem in Syllogismis quartæ Figuræ. Unde sequentes Syllogismi sunt spurii:

INSTITUTIONUM

Omnis animal est corpus vivens,
Aliquod corpus vivens est planta,
Ergo aliquod animal est planta.

Omnis Angelus cælestis est substantia spiritualis,
Aliqua substantia spiritualis non est beata,
Ergo aliquis Angelus cælestis non est beatus.

2. *Syllogismorum quartæ Figuræ major est semper universalis, vel particularis affirmans.* Utique intuenti in singulis ipsis modos. Ratio est; quia, cum minor sit semper universalis affirmans vel negans, juxta præcedentem regulam; si sit negans, fac majorem aliquando esse negantem, & minorem quoque universalem negantem, tunc ambæ præmissæ forent negantes. Atenim ex ambabus præmissis negantibus, nulla elicetur legitima conclusio; quia medius terminus non est reapse medius, quippe cum neutro extremorum cohæret. Unde hic Syllogismus spurius est:

Nullum animal est substantia spiritualis,
Nulla substantia spiritualis est mortalis,
Ergo nullum animal est mortale.

Substantia spiritualis, medius dispositione terminus, nec cum *animali*, nec cum *mortali* cohæret; quare non est medius, qui cum utroque, vel saltem cum alterutro **extremorum cohærente** debet: nam, quod *duo non convenient in uno tercio, non sequitur non convenire inter se*. Fac vero minorem propositionem esse universalem affirmantem, & majorem negantem, tunc sequeretur majorem terminum bifariam usurpari, nimirum particulariter in minore, hoc est, coarctatum in subjecto, medio termino, & universaliter in conclusione negante, pro inde propositionum negantium. Unde quatuor oriuntur termini, ut liqueat in hoc Syllogismo spurio, & secundæ regulae contrario:

Nullum animal est substantia spiritualis,
Omnis substantia spiritualis est substantia,
Ergo nullum animal est substantia.

Substantia major terminus in minore universaliter affirmante, usurpatur quidem secundum totam universalitatem substantiae spiritualis mediæ termini: sed non usurpatur secundum totam suam universalitatem, sed coarctata in *substantia spirituali*, nempe *substantia spiritualis* non est omnis substantia; sed vero in conclusione *substantia* secundum totam suam universalitatem negatur de *animali*, pro inde propositionum negantium, quapropter & bis diversimode *substantia* usurpatur.

3. *Syllogismorum quartæ Figuræ subjectum questionis seu conclusionis est major terminus*, (nempe in *majore est subjectum mediæ termini*) *& attributum conclusionis est minor terminus* (nempe in *minore propositione, medio termino attribuitur*.) Ratiō ex fundamento quartæ Figuræ est arcescenda.

Fundamentum.

Syllogismi quartæ Figuræ procedunt ascendendo ab inferioribus ad superiora in serie
cate-

categorica. Contrà quām usū venit in Syllogismis primæ Figuræ, qui descendendo à superioribus ad inferiora procedunt. Hoc liquet gemino isthac Syllogismo.

AT- { *Omne animal est corpus,*
TA- { *Omne corpus est substantia,*
LA. { *Ergo omne animal est substantia.*

Hic progressus fit in majore ab *animali* ad *corpus*, & in minore à *corpore* ad *substantiam*: sed verò in sequenti Syllogismo primæ Figuræ progressus fit diversus:

BAR- { *Omne corpus est substantia,*
BA- { *Omne animal est corpus,*
RA. { *Ergo omne animal est substantia.*

Hic quidem in majore progressus est à *corpore* inferiori ad *substantiam* superiori: sed in minore fit progressus descendendo à *corpore* superiori ad *animal* inferiori.

CAPUT SEPTIMUM.

De Speciebus Syllogismi.

Syllogismus propriè dictus dividitur in simplicem & compositum. Syllogismus simplex ex propositionibus simplicibus efflorescit, cuiusmodi sunt omnes Syllogismi hactenus in exemplum figurarum & modorum propositi. Syllogismus compositus, ex propositionibus compositis efflorescit.

Syllogismus simplex dividitur ratione materiae in Syllogismum demonstrativum, cuius partus est scientia; opinabilem seu probabilem, cuius partus est opinio; & Sophisticum, cuius partus error est.

Syllogismus sive demonstrativus, sive opinabilis, sive Sophisticus, geminus est; integer alter, quem nulla præmissarum deficit, mancus seu mutillus alter, quem altera præmissarum deficit in ore, et si eum non deficiat in mente, & Enthymema dicitur. Age igitur, primum de Syllogismo simplici demonstrativo, postmodum de Syllogismo probabili, tertio de Syllogismis compositis, demum de Syllogismo Sophistico ordine opportuno, edisceramus.

CAPUT OCTAVUM.

De Demonstratione.

Demonstratio gemina est, altera *quod sit*, altera *diōn cur sit*.

Demonstratio *quod res sit*, est Syllogismus, quo causa per effectum, vel effectus per causam remotam demonstratur, ut:

Omne divisibile est extensum,
Omne corpus est divisibile,
Ergo omne corpus est extensum.

Hoc Syllogismo demonstratur, quod res sit, nempe quod *omne corpus sit extensum*;

sum; sed vero demonstratur causa, nempe corpus esse extensum per effectum extensionis, nimirum per τὸ divisible esse:

*Omne bonum est appetendum,
Quidquid convenit est bonum,
Ergo quidquid convenit est appetendum.*

Hoc Syllogismo demonstratur effectus, nempe appetendum esse per causam remotam, scilicet τὸ convenire; nam inter τὸ convenire, & appetendum esse causa media intercedit, nimirum cognosci posse ut conveniens, nempe nihil potest appeti, nisi quantum potest cognosci, ut conveniens; sicut nihil reapse appetitur, nisi quod reapse cognoscitur ut conveniens.

Demonstratio διότι cur sit Aristotelii est συλλογισμὸς ἐπισημειώσας Syllogismus scientialis seu scientificus, estque Syllogismus, quo demonstratur cur subjectum sit tale, seu cur proprietas subjecto conveniat, per causam proximam atque necessariam. Finitur ab Aristotele lib. 2. Post. Analyt. c. 2. Συλλογισμὸς ἐξ ἀληθῶν, καὶ ἀναγνωστῶν, καὶ στόχου, καὶ ἀπόδοσεων, καὶ προσέλεγχος, καὶ αἵλια. Τοιούτοις δέ, Syllogismus ex verbis, Ex necessariis, Ex primis, Ex immediatis, Ex notioribus, Ex proribus, Ex causis conclusionis. Ex. Gr.

*Omne extensum est di visibile
Omne corpus est extensum,
Ergo omne corpus est divisibile.*

Hoc Syllogismo demonstratur, cur omne corpus sit divisibile, hoc est, cur hæc proprietas divisibile esse, suo subjecto, hoc est, *omni corpori* conveniat, per causam veram, necessariam, immediatam, & notiorem, nempe per τὸ extensum esse.

Propositio *Vera*, uti secunda in parte Institutionum observavimus, est suo objecto, hoc est, rei enunciatae conformis. Nam divinè dixit Aristoteles cap. de Priore sub fine τῆς πρᾶγματος εἶναι μὴ ἄλλο, ἀλλὰ τὸ ἀλόγονον λέγεται quod res sit, vel non sit, oratio vera, vel falsa dicitur. Hinc liquet veritatem propositionis pendere à re ipsa, & rem esse, vel non esse, priusquam mens judicat esse vel non esse. Contra vero rei veritatem nullo modo pendere à veritate judicii mentis, seu propositionis. Id autem apprime observandum est in controversia de Eucharistia, ubi queritur utrum hæc propositio Christi, *hoc est corpus meum*, efficiat reali transubstantiatione, ut substantia panis vertatur in substantiam corporis Christi, nec ne? sed facile quæstio dirimitur, si in naturam veræ propositionis intueamur. Vera utique erat hæc Christi propositio, *hoc est corpus meum*, ergo erat rei conformis, ergo res quam Christus ostendebat discipulis, & de qua affirmabat, esse corpus suum, reapse erat corpus Christi, priusquam Christus pronuntiaret, *hoc est corpus meum*; quia veritas seu esse rei enunciatae non pendet ex veritate propositionis; sed contrà veritas propositionis, pendet ex veritate, hoc est, ex esse rei enunciatae. Propositiones itaque legitima demonstrationis *cur sit*, veræ sunt, hoc est, rebus ipsis conformes. Ratio est; quippe causæ sunt veritatis conclusionis, hoc est, realis cohærentia, vel discobhærentia, quæ subjectum inter, & attributum conclusionis intercedit.

Propositiones *Necessariæ* sunt, quarum attributum subjecto necessariò convenit, hoc est,

est, ita convenit, ut non possit non convenire propter inviolabilem cohærentiam, quæ subjectum inter & attributum intercedit. Ut observavimus in parte secunda Institutionum.

Hic verò observasse operæ pretium erit, gradum necessitatis, quo attributum subjecto necessariò convenit, esse omnino tergeminum, primo *κατὰ τὸν ἄνθροπον, de ὅμνῳ*, nempe quando attributum omni subjecto inest & de omni subjecto verè prædicatur, ut *omnis homo est corpus*, secundo *κατὰ τὸν περὶ τὴν φύσην*, illa autem propositio est necessaria per se cuius attributum est in idea essentiali subjecti, atque adeo ipsius genus, vel differentia specifica, vel species infima, & dicitur necessaria primo modo *per se*; vel cuius attributum fluit ab essentia subjecti, ut habitudo ipsius ad subjectum, sit in idea ipsius essentiali, quo modo omnes proprietates quarto modo, *per se* subjecto convenient, & hic gradus necessitatis dicitur secundo modo *per se*, ut in hac propositione *omne extensum est divisibile*; nam divisibilitas in idea sua essentiali, *extensum* comprehendit. Unde scitè dixit Aristoteles proprietates finiri *κατὰ τὸν περὶ τὴν φύσην περὶ τὴν πρόσθιαν* *per additionem*, nempe *subjecti*, ita divisibilitas finitur, *naturalis potentia, qua substantia extensa dividit potest*. Propositiones itaque demonstrationis *cur sit* necessariae sunt per se, vel primo, vel secundo modo, hoc est, ipsarum attributum est in essentia subjecti, vel necessariò fluit ab essentia subjecti, atque adeo subjecto convenit necessariò per se, hoc est, nullius alterius beneficio. Tertio *κατόλογον περὶ τὸν universaliter primum*, hoc est, attributum præmissarum demonstrationis non modo convenire debet omni subjecto & per se, sed & ita primum, ut nulli alii prius conveniat: sed ipsi conveniat reduplicative, ut *omne extensum est divisibile*, & *omne corpus est extensum*. Sed vero hæc propositio, *omnis homo est corpus*, et si necessaria est de omni & per se, non tamen necessaria est universaliter primum, quia corpus non convenit homini quatenus est homo, sed quatenus est animal, nec corpus cum homine reciprocatur. Hinc colligere est 1. primum gradum necessitatis *de omni* non continere secundum gradum, nempe necessitatem *per se*, ut hæc propositio *omnis Angelus coelestis est beatus*, est quidem necessaria *de omni*, nempe beatitudo inest quidem omni Angelo coelesti & verè de omni prædicatur; sed non est necessaria *per se*, quippe beatitudo nec est in essentia Angeli coelestis, nec ab ea fluit necessariò. 2. Secundum gradum necessitatis, non continere tertium gradum: nam hæc propositio *omnis homo est sensitivus*, est quidem vera & necessaria *de omni & per se*, nempe *sensitivum esse*, est in essentia hominis; sed non convenit homini *universaliter primum*. Nam *sensitivum* prius convenit animali, quam homini, ideo non convenit homini, quatenus est homo, sed quatenus est animal, & cum homine non reciprocatur. Hinc vice versa concludere est, tertium gradum necessitatis, nempe *universaliter primum* in sese comprehendere primum & secundum gradum necessitatis, nempe *de omni & per se*. Summatim igitur ut dicam ambarum præmissarum demonstrationis attributum. 1. Debet inesse & vere prædicari de omni subjecto. 2. Inesse subjecto primò vel secundo modo *per se*. 3. Ita *omni & per se* subjecto inesse, ut primum omnium ei conveniat & cum eo reciprocetur. Non ita se res habet in conclusione demonstrationis; nam in ea tertius gradus necessitatis non requiritur, sat enim est, si attributum *omni & per se* subjecto conveniat, et si ei haut conveniat *universaliter primum & minime* cum eo reciprocetur, ut liquet hac demonstratione.

INSTITUTIONUM

Omne animal est sensitivum,

Omnis homo est animal,

Ergo omnis homo est sensitivus.

Sensitivum esse attributum majoris omni, per se, & universaliter primum animali convenit. *Animal pariter minoris attributum omni per se, & universaliter primum homini* convenit: sed vero *sensitivum esse attributum conclusionis omni* quidem, & per se, *homini* convenit; sed universaliter primum hautpote, nempe *sensitivum non reciprocatur cum homine*, nec *homini* convenit quatenus est *homo*; sed quatenus est *animal*.

Eccur præmissæ demonstrationis veræ & necessariæ sunt? ratio arcessenda est, ex fine & effectu demonstrationis, nimirum Demonstratio Syllogismus scientificus est, quia ratiocinium est in scientiam generandam comparatum: veras igitur & necessarias præmissas ut habeat necesse est, quippe quam parscientiam, vera est certa & necessaria notitia, necessariæ & inviolabilis connectionis, qua attributum conclusionis subjecto cohæret.

Propositiones primæ sunt, quæ non habent causam priorem seu aliam propositionem priorem: unde earum veritas pendeat Ex. Gr. *Omne extensum est divisibile*, *omne corpus est extensum*, *omnis homo est animal*, *omnis homo est rationalis*, & ut summatim dicam, omnis propositio, quæ finitio est, & quævis alia cuius attributum subjecto immediate cohæret, ut nulla ratio causave perhiberi possit, cur ipsi cohæreat, quia comprehenditur in idea essentiali subjecti, vel ab ea necessari & immediate profluit; omnis demum propositio cuius subjecti & attributi necessaria & immediata cohærentia, cuivis animo attento per se, & suapte luce, liquidò paret, cuiusmodi hæc propositio est, *omne totum est majus sua parte*. Hinc factum ut propositio prima, principium, propositio indemonstrabilis, & axioma appelletur. Principium, quippe prima veritas est, independens ab alia veritate priore, fons, origo, & causa alterius veritatis, quæ hinc profluit & corrivatur: *Propositio indemonstrabilis*, quippe ipsius veritas per aliam priorem non potest demonstrari: *axioma* denique, quippe quæ digna est quæ per se fidem faciat, & admittatur absque testimonio alieno. Hic vero observasse operæ pretium erit, propositionem primam seu principium esse geminum, alterum absolute primum, nempe quod priorem sui causam non habet, ut *omnis homo est rationalis*, *omne totum est majus sua parte*, &c. Alterum secundum quid primum, quod nempe in tali scientia nullam habet priorem propositionem; unde pendeat ejus veritas, et si priorem habeat in scientia superiori, in qua conclusio est ex priore principio elicita, cuiusmodi axiomata Logica sunt omnis Syllogismus ex tribus terminis coalescit, medius terminus conclusionem non ingreditur, &c. nempe ista principia Logica demonstrari possunt per alia principia, non quidem Logica; sed Metaphysica, vel deprompta ex alia scientia. Præmissæ demonstrationis cur sit, principia sunt vel absolute prima, vel prima secundum quid. Hie vero sedulò distinguendum est, inter nudam explicationem & Demonstrationem, nempe principia sunt propositiones indemonstrabiles, quia eorum veritas demonstrari non potest per medium, quod causa & ratio sit connectionis attributi cum subjecto principii seu

seu propositionis, quæ ideo indemonstrabilis dicitur; sed vero principia non sunt propositiones inexplicabiles: nam explicatio nihil aliud est, quam fusior rei vel axiomatis declaratio aliis quidem terminis; sed quibus nihil aliud significatur, quam quod in terminis axiomatis paulo pressius continetur: sed in demonstratione quæstionis concludenda, novus terminus asciscitur, qui rationem seu causam continet, qua attributum cum subiecto cohæret.

Eccur vero propositiones demonstrationis principia sunt? ratio iterum arcēfenda est ex fine & effectu Demonstrationis, nempe demonstratio comparata est ad generandam scientiam; scientia vero est plenus assensus, quem mens præbet veritati conclusionis. Præmissæ itaque demonstrationis causæ sunt veritatis conclusio-
nis: Causa vero prima est in habitudine ad effectum; & assensus, quem mens præbet veritati præmissarum, causa utique est, assensus, quem mens præbet veritati conclusio-
nis, quamobrem. primum assentimur præmissis quam conclusioni, & assensus, quæ
præbemus conclusioni non est causa assensus, quem ipsius præmissis præbemus; sed
nec aliqua alia propositio causa est assensus præmissarum, nimirum ipsæ suapte na-
tura lucent, & sine ope aliena mentem nostram pertrahunt in sui assensum.

Propositiones *immediatae* sunt, quæ causam immediatam habent effecti, seu pro-
prietatis demonstrandæ de subiecto in conclusione, cujusmodi sunt, *omne exten-
sum est divisibile*, *omne corpus est extensum*, nempe causam continent immediatam
connexus necessarii, quo *divisibile esse* cohæret corpori in hac conclusione: Ergo *omne
corpus est divisibile*. Ratio vero cur præmissæ demonstrationis principia sunt imme-
diata conclusio-
nis, iterum ex scientia, fine, & effectu demonstrationis *cur sit* arcēfenda est,
quando enim scientia simul clara, simul certa & necessaria notitia est,
utique in conclusione oritur *ex causa* perspicua, certa & necessaria. Atenim remota
& mediata principia cujusmodi sunt generalia isthac, cæteraque id genus scientia-
rum principia *impossibile est* idem simul *esse* & non *esse*, *omne totum est maius sua parte*,
quidquid agit existit, *causa totalis & perfecta totam effecti sui perfectionem habet*, *vel*
formaliter, *vel eminenter*; et si causæ sunt connectionis attributi & subiecti multarum
conclusionum, non tamen causæ sunt perspicua, utpote valde remota, & per multas
alias causas propinquiores ad connectionem attributi & subiecti conclusionis, con-
currentes. Sunto igitur præmissæ demonstrationis *dilecta*, principia conclusio-
nis utique
non mediata & remota: sed proxima & immediata.

Propositiones *notiores* scilicet conclusio-
ne, quæ ex iis elicuntur sunt, quæ attento
animo propria & innata sua luce veritatis sua menti fidem faciunt indubiam, quippe
quæ immediate cohærent, ut attributum earum in idea essentiali subiecti contineantur,
vel ab ea necessario profluat, nimirum veritatis indubia axioma est, *quidquid in
idea perfecta rei comprehenditur*, vel ab ea necessario fluit, verè potest de re affirmari.
Contrà vero *quidquid in idea rei essentiali non comprehenditur*, nec ab ea necessario
fluit, de re verè negari potest. Verum ut hæc comparata majorque perspicuitas distin-
cte percipiatur, observare juvat. *Notius*, in totum esse geminum, alterum *notius*
natura, alterum *notius nobis*. *Notius natura* est, simul quod suâ naturâ est notius na-
tura alterius, quippe naturam habet à natura alterius independentem; cum con-
trà natura alterius ab hujuscem natura pendeat simul, quia iis evidentius est, qui in
cognoscuntur.

INSTITUTIONUM

cognoscendo, ordinem naturæ sequuntur. Ordo autem naturæ hujusmodi est, ut causa sit prior vel tempore, vel momento saltem naturæ, suo effectu: Unde concludere est *notius natura esse causam*, uti & *natura ignorans effectum*. Atenim causa effectu simplicior est, & à nostris sensibus remotior: unde sequitur *notiora natura esse simpliciora*, à sensibus remotiora, & causas. Contrà *ignoriora natura esse compositiones*, à sensibus minus remota & effecta. *Notius autem nobis est*, quod nobis in cognoscendo ductum & erationem sensuum, sequentibus, evidenter est, priusque venit in nostram cognitionem. Nos vero in cognoscendo sensuum ductum sequimur, & prius effecta, quam causas, compositiones quam simpliciora novimus, quam obrem *notiora nobis* in cognoscendo ordinem sequentibus, ordini naturæ oppositum, hoc est, ab effectu ad causas progredientibus, *nobis*, inquam, *notiora* sunt effecta, compositiones, & proxime ad sensus accedentia. *Nobis* igitur *ignoriora* sunt cause, res quælibet simpliciores, & à sensibus remotiores. Propositiones demonstrationis *cur sit*, *notiores natura sunt*, conclusione, quippe conclusionis notitia, cuius assensus scientia dicitur, effectus est notitia propositionum, ut natura connectionis attributi & subjecti conclusionis unice pendeat, ex natura connectionis attributi & subjecti praemissarum: nam propter quod unumquodque est tale, illud magis tale est, sicut propter quod unumquodque est, illud prius est.

Propositiones *priores* sunt quotquot causæ sunt aliarum propositionum, quippe quia coherētia subjecti & attributi earum; ratio & causa est coherētia attributi & subjecti aliarum; nempe causa semper est natura prior effectu suo. Necesse itaque est, ut propositiones demonstrationis *cur sit*, sint priores conclusione, quippe ipsius causæ sunt.

Propositiones Demonstrationis *cur sit*, dupli nomine causæ conclusionis sunt.
1. *Ratione formæ* seu figuræ Syllogisticae, quam sitam diximus in legitima trium terminorum & propositionum dispositione. 2. *Ratione materiae* scilicet connectio subjecti & attributi propositionum demonstrationis, causa connectionis est subjecti & attributi conclusionis, ut liquet in hac demonstratione:

Omne rationale est capax disciplinæ discursivæ,

Omnis homo est rationalis.

Ergo omnis homo est disciplinæ discursivæ capax.

Connexus necessarius, qui *rationale inter & disciplinæ capacitatem*, item *rationale inter & hominem* intercedit: ratio & causa est, connexus necessarius, qui in conclusione *hominem inter & disciplinæ capacitatem*, intercedit.

CAPUT NONUM.

De Syllogismo probabili.

Syllogismus Probabilis est, qui ex ambabus propositionibus probabilibus, vel alterutra ad generandam opinionem efflorescit.

Propositio Probabilis est, cui facilius assenseris, quām assensum negaveris, quia attributum ipsius subiecto ut plurimum convenit, et si non semper & necessariō convenit, ut *matres amant suos liberos*, qui *vitia carpunt odium sibi conflant*. Nimirum, amare suos liberos, matribus ut plurimum convenit, verū nec semper, nec necessariō tamen convenit, & conflare sibi odium iis ut plurimum convenit, qui *vitia carpunt*, non tamen semper & necessariō iis contingit & convenit. Ex ambabus propositionibus probabilibus, ambo isti Syllogismi probabiles efflorescunt.

Omnes matres amant suos liberos,

Medea fuit mater,

Ergo Medea amavit suos liberos.

Qui vitia carpunt odium sibi conflant,

Qui calumniam & adulterium carpunt, vitia carpunt,

Ergo qui calumniam & adulterium carpunt, odium sibi conflant.

Major propositio amborum Syllogismorum est probabilis. Minor necessaria est; sed utriusque conclusio, quippe quā partem deteriorem semper sequitur, probabilis est. Itaque propositio Necessaria & Probabilis hoc nomine differunt, scilicet subiectum & attributum propositionis Necessariae nexus inviolabili cohærent. At enim subiectum & attributum propositionis Probabilis contingentem ut plurimum habent cohærentiam, non verò necessariam & inviolabilem.

Hinc liquidò pareat Demonstrationem & Syllogismum Probabilem differre. 1. *materia* quippe Demonstratio ex præmissis necessariis; sed Syllogismus Probabilis ex præmissis probabilibus, vel saltē ex alterutra efflorescit. 2. *fine & effectu*, nempe finis & effectus Demonstrationis est *scientia*, hoc est, perspicua & certa effectus per causā notitia, seu mavis perspicua & certa notitia connectionis, quā intercedit causam inter & effectum: finis verò & effectus Syllogismi Probabilis est *opinio*, hoc est, incerta notitia connectionis subiecti & attributi, conjuncta cum dubitatione seu erroris formidine; ubiunque intellectus non plene persuasus est de veritate propositionis, hoc est, de connectione subiecti & attributi, quia non est plene persuasus causam, qua subiectum & attributum connectuntur, necessariam & immediatam esse causam connectionis eorum.

Syllogismus Probabilis dicitur & Syllogismus Topicus, quippe medius ipsius terminus ē loco conjuncto, vel externo arcessitur, ideo *Probabilis* tantum est ad generandum opinionem, non verò *Necessarius* ad scientiam ingenerandam, opportunus.

Locus est *sedes mediorum ad quæstionem quamlibet propositam perstringendam & concludendam*. Triplex verò mediorum locus est; nempe *internus*, *conjunctus*, & *externus*.

INSTITUTIONUM

Locus *Internus* interna & essentialia subiecto, vel attributo questionis propositæ, media habet, cujusmodi sunt, *genus*, *species*, *differentia essentialis*, *finitio*, *totum*, *partes*.

Locus *Conjunctus* media habet conjuncta & affinia subiecto, vel attributo questionis propositæ ad concludendum, cujusmodi sunt *modi proprii quarto modo*, *modi inseparabiles*, *separabiles*, *causa efficiens*, *causa finalis*, &c.

Locus *Externus* media habet externa subiecto, vel attributo questionis ad concludendum propositæ, cujusmodi sunt *similia*, *dissimilia*, *disjuncta* seu *disparata*, hoc est, *diversa*, *opposita*, nempe *relata*, *proxantia*, *contraria* & *contradictoria*. Ex loco *conjuncto* & *externo* depromuntur media Syllogismorum probabilitum. Unde Syllogismi illiusmodi Topici ex loco sequiori appellantur. At enim ex loco interno, media Demonstrationum eruuntur.

CAPUT DECIMUM.

*De Natura, & speciebus, regulis & Fundamentis
Syllogismi Hypothetici.*

Syllogismus Compositus est, qui vel pluribus ex propositionibus compositis, vel ex aliqua efflorescit, estque multiplex nempe *Hypotheticus*, *Disjunctivus*, *Copulativus*, *Dilemma*, *Sorites* &c.

Syllogismus Hypotheticus est, qui vel ex omnibus præmissis conditionalibus, vel ex alterutra ad conclusionem procedit. Syllogismus itaque Hypotheticus duplex est, alter qui ex omnibus præmissis conditionalibus ad conclusiōnem conditionalem procedit & juxta regulas omnium Figurarum confici potest, nempe in prima Figura, ut:

Si prudentia est virtus est animi habitus,

Si prudentia est mediocritas secundum rectam rationem, est virtus,

Ergo si prudentia est mediocritas secundum rectam rationem, est habitus.

In secunda Figura, ut:

Si Petrus est homo, non est lapis,

At si Petrus est Adamas, est lapis,

Ergo si Petrus est Adamas, non est homo.

In tertia Figura, ut:

Si pomus est arbor, non est lapis,

At si pomus est arbor, est planta,

Ergo si pomus est planta, non est lapis.

In quarta Figura, ut:

Si homo est animal, est corpus animatum sensitivum;

At si homo est corpus animatum sensitivum, est vivens;

Ergo si homo est animal, est vivens.

Altera species Syllogismi Hypothetici est, cuius major propositio conditionalis integrum

gram continet conclusionem ; ut ipsius antecedens, vel consequens minorem propositionem constituat: estque duplex alter, qui procedit à positione, seu affirmatione antecedentis in minore, ad positionem seu affirmationem consequentis, in conclusione, ut :

Si Persæ sunt Mahomedani, sunt infideles,

Atqui Persæ sunt Mahomedani,

Ergo Persæ sunt infideles.

Alter, qui procedit ab eversione, seu negatione consequentis, ad eversionem, seu negationem antecedentis, ut :

Si justitia est ex lege, Christus sine causa mortuus est, Gal. 2. 21.

Atqui Christus non est mortuus sine causa,

Ergo justitia non est ex lege,

Horum electorum & secundum propositum vocatorum, si quisquam perit, fallitur Deus; Sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. August. lib. de Corrept. & Grat. cap. 7.

REGULÆ.

1. A positione, hoc est, affirmatione antecedentis, ad positionem, hoc est, affirmationem consequentis, legitima consecutio est.

2. Ab eversione, hoc est, negatione antecedentis, ad eversionem, hoc est, negationem consequentis, nulla est legitima consecutio, ut :

Si Bucephalus est homo, est animal,

Atqui Bucephalus non est homo,

Ergo Bucephalus non est animal.

Si Judas Apostolatus functus est absque vocatione, utique fuit rejiciendus,

Atqui Judas non est functus Apostolatus absque vocatione,

Ergo Judas non fuit rejiciendus.

3. Si attributa antecedentis & consequentis reciprocentur, à negatione antecedentis ad negationem consequentis, consecutio legitima est, non ratione formæ Syllogistice: sed ratione materiæ necessariæ, ut :

Si lapis est homo, est rationalis,

Atqui lapis non est homo,

Ergo lapis non est rationalis.

4. Si antecedens propositionis Hypotheticæ, utut affirmans videtur, neganti tamen propositioni æquivaler, tunc à negatione antecedentis, quia negatio duntaxat apparet, ad negationem consequentis legitima consecutio est, ut liquet in isto Veneris ad Jovem ratiocinio.

Si sine pace tua atque invito numine Troes

Italiam petiere, luant peccata, neque illos

Juveris auxilio : fin tot responsa fecuti

Quæ superi manesque dabant: cur nunc tua quisquam,
Fletere jussa potest, aut cur nova condere fata?

Hocce Veneris alloquium hunc Syllogismum Hypotheticum à negatione antecedentis ad negationem consequentis continere videtur.

Si Troes in Italianam venissent contra voluntatem Deorum, utique rei plectendi essent,

Atqui Troes non venere in Italianam contra voluntatem Deorum,

Ergo Troes non sunt rei plectendi.

Verum antecedens Hypotheticum quod $\neg\forall x \lambda x \in T$, affirmans videtur, $\neg\forall x \lambda x \in T \rightarrow \neg\exists x \lambda x \in T$ secundum intellectum est negans, & isti æquivalet.

Si Troes non venere in Italianam, nisi secundum voluntatem Deorum, non sunt rei plectendi,

Atqui Troes non venere in Italianam, nisi secundum voluntatem Deorum,

Ergo Troes non sunt rei plectendi.

Unde liquidò paret, hunc Syllogismum Hypotheticum Veneris, procedere à positione antecedentis ad positionem consequentis.

5. *Ab eversione consequentis ad eversionem antecedentis consecutio legitima est*, ut:

Si resurrectio mortuorum non est, Christus quoque non est excitatus,

At Christus est excitatus

Ergo resurrectio mortuorum est, 1 Cor. 15. 13.

Si Christus non est suscitatus, falsi sumus Dei testes,

At non sumus falsi testes Dei,

Ergo Christus est suscitatus, 1 Cor. 15. 14, 15.

6. *A positione consequentis, ad positionem antecedentis consecutio non est legitima*, ut:

Si Sinæ sint Mahummedani, sunt infideles.

At Sinæ sunt infideles,

Ergo sunt Mahummedani.

7. *A positione consequentis, ad positionem antecedentis consecutio est legitima, ratione materiae, si attributa antecedentis & consequentis reciprocantur*, ut:

Si Abraham fuit fidelis, fuit justificatus,

Atqui Abraham fuit justificatus,

Ergo Abraham fuit fidelis.

Positio Antecedentis, vel Consequentis significat ipsius transumptionem in minore, secundum eamdem qualitatem, hoc est, iisdem terminis, vel affirmantibus, vel negantibus. Contrà Eversio Antecedentis, vel Consequentis, significat ipsius transumptionem in minore, secundum diversam qualitatem, hoc est, affirmante propositione in negantem mutata, & vice versa negante propositione, mutata in affirmantem.

Fundamenta positionis.

1. *Posito inferiori in serie categorica, ponitur necessario ipsius superius*, exempli gratia, posito homine ponitur animal, & posito Petro ponitur homo, ut si Petrus est homo, est animal. Atqui Petrus est homo, E. Petrus est animal. Item si Petrus est in mundo, homo est in mundo, atqui Petrus est in mundo. E. homo est in mundo.

mundo. Huic fundamento nititur regula. *A positione antecedentis, ad positionem consequentis, consecutio est legitima.*

2. *Posito superiori seu majore universalis in serie categorica, non ponitur necessariò determinatum aliquod ipsius inferius, ut posito animali, non ponitur necessariò homo, & posito homine, non ponitur necessariò Petrus.* Huic fundamento nititur hæc regula. *A positione consequentis, ad positionem antecedentis, consecutio non est legitima.*

Fundamenta Eversionis.

1. *Sublato superiore, seu majore universalis in serie categorica, ejus inferiora tolluntur necessariò: ut sublato animali homo & brutum tolluntur necessariò, & sublato homine, Petrus & Paulus ceterique singulares homines tolluntur necessariò.* Huic fundamento nititur hæc regula. *Ab eversione consequentis, ad eversionem antecedentis, consecutio est legitima.*

2. *Sublato inferiore, seu minore universalis in serie categorica, non tollitur superius seu majus universale: ut sublato homine non tollitur animal, est enim in bruto, & sublato Petro, non tollitur homo, est enim in Paulo.* Huic fundamento nititur hæc regula. *Ab eversione antecedentis, ad eversionem consequentis, consecutio non est legitima.*

CAPUT UNDECIMUM.

De Syllogismo Copulativo & Disjunctivo,

Sylogismus Copulativus, est ratiocinium compositum, quo ex majore propositione: copulativa negante, & minore alterum ipsius membrum affirmante, colligitur conclusio negans alterum membrum oppositum, ut:

Nemo homo simul servus Dei est, simul servus Mammonæ,

Avarus est servus Mammonæ,

Ergo avarus non est servus Dei: vel

Nemo homo simul servus Dei est, simul servus Mammonæ

Eidelis est Dei servus,

Ergo fidelis non est servus Mammonæ.

Hæc verba Pauli ad Galatas c. 4. 8. *Tum ignorantes Deum, serviebatis iis, qui natura non sunt Dii.* Hunc Syllogismum Copulativum continent.

Nemo homo simul Deum cognoscit, simul servit iis, qui natura non sunt Dii.

Galatae serviebant iis, qui natura non sunt Dii,

Ergo Galatae tum Deum non cognoscebant.

Item & istum.

Nemo homo simul Deum cognoscit, simul servit iis, qui natura non sunt Dii,

Galatae luce salutari Euangeli perfunsi, Deum cognoscebant,

Ergo Galatae perfunsi luce salutari Euangeli, iis non serviebant, qui natura non sunt Dii.

REGULÆ.

1. *Syllogismus Copulativus ab affirmatione alterius membra propositionis copulativa negantis, ad negationem alterius optime procedit.* Ratio est, quia attributa ambarum propositionum simplicium, ex quibus propositio copulativa negans efflorescit, numquam possunt cohædere. Unde sequitur unius affirmationem, seu positionem, alterius esse remotionem, seu negationem.

2. *Syllogismus Copulativus, male procedit à negatione alterius membra propositionis copulativa negantis, ad affirmationem alterius.* Ratio est, quia attributa simplicium propositionum, unde copulativa propositio negans conflatur, non sunt immediate opposita. Ut liquet in hisce Syllogismis copulativis spuriis.

*Nemo homo simul servus Dei est, simul servus Mammonæ,
Prodigus non est servus Mammonæ,
Ergo prodigus est Dei servus.*

Nempe servus Dei & servus Mammonæ, et si opposita sunt, non tamen immediatae opponuntur, nam inter servum Dei & servum Mammonæ sunt, servus voluptatis, servus ambitionis, servus invidiae, cæterorumque malorum affectuum & vitiorum, qui non minus servo Dei opponuntur, quam servus Mammonæ, unde non sequitur eum esse servum Dei, qui non est servus Mammonæ, nam & aliorum vitiorum, quæ non minus cultui Dei opponuntur, quam cultus Mammonæ servus est.

Nemo homo simul servus Dei est, simul servus falsorum Deorum, Saturni, Jovis &c.

Atheus non est servus falsorum Deorum, Saturni, Jovis &c.

Ergo Atheus est servus Dei.

Nempe inter servum Dei, & servum falsorum Deorum, medius est Atheus, non minus servo Dei oppositus, quam servus falsorum Deorum, qui nec Deo servit, nec falso Gentium Diis.

De Syllogismo Disjunctivo.

Syllogismus Disjunctivus, est ratiocinum compositum, quo majoris propositionis Disjunctivæ, altera pars affirmatur in minore, cæteræ veræ negantur in conclusione, vel contraria pars negatur in minore, altera veræ affirmatur in conclusione, ut:

Omnis numerus est par vel impar,

Quaternarius est numerus, par

Ergo quaternarius non est, impar.

Omnis numerus est par vel impar,

Quaternarius numerus non est, impar.

Ergo quaternarius numerus est, par.

Observa Propositionem Disjunctivam ex duabus modo partibus disjunctis nonnumquam coalescere, ut in productis in exemplum Syllogismis liquidò paret, nonnumquam ex pluribus, ut in cap. 4. ad Heb. Paulus probatur, esse Sabbatum, vel Sabbathum populo Christianorum fidei preparatum, hoc modo ratiocinatur; Deus Psal. 95. ubi ore Davidis sic insit: *juravi in ira mea, si unquam in Sabbatum meum*

meum ingrediantur, vel loquitur de Sabbatho creationis, vel de Sabbatho terræ Canaan, vel de tertio aliquo Sabbatho; atenim non loquitur de Sabbatho creationis, nec de Sabbatho terræ Canaan, ergo loquitur de tertio Sabbatho, supereft igitur Sabbathum populo Dei. Non abſimile eft Syllogismus Disjunctivus Augustini, ex tribus propositionibus simplicibus disjunctis lib. de Mendacio cap. 8. *Aut non eft credendum bonis, aut credendum eft eis, quos credimus debere aliquando mentiri, aut non eft credendum bonos aliquando mentiri. Horum primum pernitiosum eft, secundum fultum: refat ergo ut nunquam mentiantur boni.*

REGULÆ.

1. In Syllogismo Disjunctivo ab affirmatione unius partis majoris propositionis Disjunctivæ, fit progressus ad negationem alterius, vel aliarum omnium, si plures duabus fuerint: vel a negatione alterius aliarumve, si plures duabus fuerint, ad affirmationem tertiae; ut liquet in Syllogismo Disjunctivo Pauli & Augustini. Sinfecus Syllogismus Disjunctivus eft ſpurius, ut:

Vel sapis, vel non sapis,

Atqui sapis,

Ergo non sapis.

2. In Syllogismo Disjunctivo, exacta plenaque eſſe debet partium omnium diversarum enumeratio.

3. Majoris propositionis Disjunctivæ, propositiones ſimplices, ex quibus efflorefcit, debent eſſe immediate oppositæ. Ratio eft, quia proceditur ab affirmatione unius partis ad negationem alterius, vel aliarum, vel contrà à negatione unius partis, vel aliarum omnium, ad affirmationem alterius; sed verò, si minus fint immediate oppositæ, & plenæ omnes enumeratæ, Syllogismus Disjunctivus eft ſpurius, ut:

*Vel Regibus obediendum eft, etiam in omnibus, quæ adverſantur legi divinæ, vel
arma adverſus Reges ſunt capeſſenda,*

Atqui non eft obediendum Regibus, dum imperant, quæ adverſantur legi divinæ,

Ergo arma ſunt adverſus Reges capeſſenda.

Hic nec plena eft partium diversarum enumeratio, nec immediata oppositio, nam tertium eft medium, inter obsequium præbendum Regibus injustis, & arma adverſus Reges capeſſenda; nempe patientia, humilitas, & vota Deo munificanda pro Regum injustorum converſione, ad mentem meliorem & æquioram, quod & sancte adhibuit fuit ab Ecclesia Christiana, decem vexata diris Imperatorum persecutionibus.

CAPUT DUODECIMUM.

De Dilemmate.

Dilemma διλέμματος utrinque capere, quasi διελεύθερον utrinque capiens, originem dicit, quod ad veriarium utrinque capiat; dicitur & Syllogismus διερημός, quod graviter & acutè feriat.

Dilema-

Dilemma est *Syllogismus Compositus*, quo de toto in omnes suas partes diviso, affirmando, vel negando concluditur, quod de singulis ejus partibus seorsim conclusum fuit: ut apud Aristotelem, philosophorum non nemo ab administranda Republica abstinentem esse ut suaderet, hoc dilemmate utebatur.

Quicumque Rēpublicam suscepere it administrādā, eam probē, vel improbe trāctaverit,

Si probē, hominū odium sibi confabat, si improbe, odium Deorum.
Ergo non est administrādā Rēpublica.

Dilemma hujusmodi resolvi potest in geminum hunc Syllogismum.

Nemo sapiens pernicioſum quicquam suscipere debet,

Rēpublicā administratio est pernicioſa, quia administranti odium hominū confiat,

Ergo Rēpublicā administratio non est sapienti suscipienda.

Item.

Nemo sapiens pernicioſum quicquam suscipere debet,

Rēpublicā administratio est pernicioſa, quia administranti Deorum odium confiat,

Ergo Rēpublicā administratio non est suscipienda

Melioris commatis erat Dilemma Christi adversus Pharisæos: *Baptisma Joannis unde erat?* ē cælo, an ex hominibus, Matth. 21. 25. Utrumque Pharisæos Dilemma Christi constringebat: nempe illi apud se ratiocinabantur, dicentes. *Si dixerimus ē cælo: dicet nobis. Quare ergo non credidisti ei?* Sin autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam, omnes enim habent Joannem ut Prophetam. Iterum Christi Dilemma in Syllogismum geminum resolvi potest, hoc modo.

Baptisma ē cælo, nulli homini est rejiciendum,

Baptisma Joannis ē cælo erat,

Ergo Joannis baptisma vobis Judæis, non erat rejiciendum.

Qui auram popularem captant, verentur afferere quod plebi ingratum est,

Vos Pharisæi auram popularem captatis, cui ingratum est afferere Joannis Baptisma esse ab hominibus.

Ergo vos Pharisæi verebimini afferere Joannis Baptisma esse ab hominibus.

REGULÆ.

1. In omni Dilemmate utrinque efficaciter constringente, partes disjunctivæ propositionis debent esse immediate oppositæ, & toti diviso adæquatæ. Hinc Christi Dilemma ita Pharisæos utrinque constringit; ut quid responderent, non habuerint; nempe non est medium inter Baptisma, hoc est, doctrinam ē cælo, & doctrinam ab hominibus, sub hac enim Diabolorum doctrinam comprehendendi potest. Sed vero Dilemma Biantis apud A. Gellium lib. 5. c. 11. inefficax plane est, quia peccat contra regulam, ut:

*Si ducenda est uxor, aut pulchra ducenda est, aut deformis,
Si pulchram ducis, habebis communem; Si deformem, feres pœnam,
Ergo uxor non est ducenda.*

Nempe 1. inter pulchram & deformem, statæ formæ mulier est. 2. pulchra potest esse castitate cæterisque virtutibus prædita; ut nihil ab ipsius fidelitate sit metuendum: & deformis potest non esse tædio, propter eximiam animæ pulchritudinem.

2. In Dilemmate propositiones unde vim habet, in partibus totius divisi, non raro tacitæ comprehenduntur. Ut in Dilemmate Christi liquidò paret, & in hoc olim vibrato, & nunc proh dolor! in pravos vibrando pastores.

Sit tanto muneri impares: cur tam ambitiosi?

Si pares, cur tam negligentes?

Nempe in primo membro divisionis pastorum *in impares* tanto muneri ferendo, continetur ambitio inexcusabilis, in altero membro divisionis pastorum, *in pares* tanto muneri, continetur desidia pariter inexcusabilis. Unde conflatur Dilemma integrum hoc modo.

Pastores vel pares sunt tanto muneri, vel impares,

Si pares, inexcusabiles, ni eo seduli ad salutem animarum ritè fungantur,

Si impares, ambitionis inexcusabilis rei sunt, quod munus cui ferendo impares erant, susceperint,

Ergo pastores, qui promovendæ saluti animarum minus incumbunt, omnino sunt inexcusabiles.

3. Dilemmatis validè constringentis partium immediate oppositarum consequentia, sunt necessaria. Ratio est, quia si ex parte totius divisi, consecutio, quæ elicetur minus fuerit necessaria, & falsa erit, & ab adversario, jure rejicietur. Unde Favorinus Biantis Dilemma imbellè pronuntiavit, quia ex duobus membris, alterum non est necessarium, nempe non sequitur necessario formosam mulierem esse καλὴν; nec deformem esse ποιητὴν. Ut hanc necessarium est, mulierem esse καλὴν, potest enim esse statâ formâ, ut Ennius observavit in Menalippa.

4. Cavendum summoperè ne Dilemma fuerit ἀλισσόφορον, reciprocum; quod reciproca conversione in caput adversarii intorqueri potest. Hujuscemodi commatis est πλευράνην istud Protagoræ Sophistæ accerrimi in Euathlum discipulum, ad judices.

Sive contra te pronuntiatum erit, sive pro te, fore ut reddas, quod peto, disce stultiissime adolescens.

Si contra te lēs data erit, merces mihi ex sententia debebitur, quia ego vicero.

Sin vero secundum te iudicatum erit; merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris.

Euathlus inversum Dilemma valide contorsit in Protagoram hoc modo.

Sive contra me pronuntiatum erit, sive pro me, disce Magister sapientissime utrumque modo fieri, uti non reddam, quod petis.

Si iudices pro causa mea senserint, nihil tibi ex sententia debebitur, quia ego vicero,

Sin contra me pronuntiaverint, nihil tibi ex pacto debebo, quia non vicero.

Perplexa isthac Dilemmatis *ἀντίστοιχη* ex transitu in aliud genus originem duxit; nempe Euathlus discipulus plenum Minerval erat ex pacto Protagoræ soluturus, quum primum *causam alienam* apud judices orasset, atque viciisset; atenim in cornu Protagoræ & Euathli reciproco Dilemmate, de *causa propria* Euathli, non de aliena agitur.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Sorite & Prosyllogismo.

Quandoquidem Ratiocinii cuiuslibet necessitas, uti primo capite hujuscce partis observatum est, ex intellectus humani luce pertenui ad per videndam subjecti & attributi quæstionis propositæ coherentiam, vel discohærentiam mutuam, originem trahit quapropter tertia cujusdam idea auxilio opus est. Sed etenim haut raro contingit, ut arcessatur tertia quædam idea nimis admodum remota, ad plenam fidem de hujusmodi cohærentia, vel discohærentia faciendam; unde abs tertia illa ad quartam, & iterum abs quarta ad quintam, & sic deinceps idearum filo ducente, usque dum humana mens ideam nacta fuerit, quæ fidem illam cohærentiae attributi & subjecti quæstionis faciat. Atque hinc Sorites & Prosyllogismus originem ducit.

Sorites itaque propositionum coacervatio quædam est *δέος & οὐεγές acervo*, & Syllogismus *compositus*, quo attributum primæ propositionis, fit subjectum secundæ, & iterum attributum secundæ, fit subjectum tertiae, & sic deinceps, donec attributum ultimæ propositionis, de subjecto primæ rite concludatur. Exempli gratia. Paulus hanc Quæstionem dirempturus, utrum quos Deus prenovit, glorificaverit, ita ratiocinatus cap. 8. ad Rom.

Quos Deus prænovit, prædestinavit,
Quos prædestinavit, vocavit,
Quos vocavit, justificavit,
Quos justificavit, glorificavit,
Ergo quos prænovit, glorificavit.

REGULA.

Legitimi Soritæ propositiones veræ sunt, atque necessariæ. Ratio est, quia si conexio necessaria desideretur, subjecta inter & attributa propositionum, unde Sorites efflorescit, falsi commatis & scopæ dissolutæ erit, cujusmodi iste est Epicureorum de grege porcorum.

Qui bene bibit, bene dormit,
Qui bene dormit, non peccat,
Qui non peccat, Deo placet,
Qui Deo placet, cælo recipietur,
Qui cælo recipietur, erit beatus,
Ergo, qui bene bibit, erit beatus.

Prosyllogismus est Syllogismus Compositus ex Syllogismo integro & manco, hoc est.
Enthymēsis

Enthymemate, ut conclusio Syllogismi integrī, sit major vel minor Enthymatis sequentis: ut si quis probaturus, lapides non crescere per intus susceptionem, ita ratiocinetur.

*Omne vivens crescit per intus susceptionem alimenti,
Omnis planta est vivens,
Ergo omnis planta crescit per intus susceptionem alimenti,
At nullus lapis est planta,
Ergo nullus lapis crescit per intus susceptionem alimenti.*

Item si quis probaturus omnem hominem esse mortalem, ita ratiocinetur.

*Cujuscumque vita defectu cibi & potus extingui potest, id est mortale.
Cujuscumque animalis vita extingui potest defectu cibi & potus,
Ergo omne animal est mortale,
Atqui omnis homo est animal,
Ergo omnis homo est mortalis.*

In ambabus exemplis, conclusio Syllogismi integrī est major propositio Enthymematis sequentis. Qui verò prosyllogismus sequitur exemplum esto, illius, cuius conclusio Syllogismi integrī, minor est sequentis Enthymematis.

*Omne vivens compositum potest resolvi in partes,
Omnis homo est vivens compositum,
Ergo omnis homo potest resolvi in partes,
Quicquid vivens potest resolvi in partes, est mortale.
Ergo omnis homo est mortalis.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Enthymemate & sententiis Enthymematicis.

Enthymema δημοσία, intelligere, animo concipere, appellationem habet. Est igitur Enthymema Syllogismus in mente quidem integer: sed in voce alterā præmissarum truncatus, quo ex maiore expressa, & minore suppressa, vel ex minore expressa, & majore suppressa, agilis infertur conclusio, ut:

*Deus punit peccatum;
Ergo Deus non est author peccati.*

Item.

*Quicquid vivens potest resolvi in partes, est mortale,
Ergo omnis homo est mortalis.*

In primo Enthymemate desideratur major, ex qua Syllogismus vocalis integer efflorescit hoc modo.

*Nullus qui punit peccatum, est autor peccati,
Deus punit peccatum,
Ergo Deus non est autor peccati.*

INSTITUTIONUM

In secundo desideratur minor, qua restituta Syllogismus integer efflorescit, ut:

*Omne vivens, quod potest resolvi in partes, est mortale,
Omnis homo est vivens, quod potest resolvi in partes,
Ergo omnis homo est mortalis.*

REGULÆ.

1. In primis tribus figuris, si idem fuerit subjectum expressæ propositionis & conclusionis, major propositio desideratur. Ratio est, quia in tribus primis figuris minor terminus, qui in minore propositione stabulatur, semper est subjectum conclusionis.

2. Si idem fuerit attributum expressæ propositionis & conclusionis, minor propositio desideratur. Ratio est, quia attributum conclusionis semper est major terminus, qui in majore stabulatur.

3. Contrà, in Quarta Figura, si idem fuerit subjectum expressæ propositionis & conclusionis, minor propositio desideratur. Ratio est, quia subjectum Conclusionis semper est major terminus, qui in majore propositione stabulatur, ut:

*Omne animal est sensitivum,
Ergo omne animal est vivens.*

Reddita minore, quæ in mente latebat, conflatur Syllogismus integer in Attala, ut:

AT-
TA-
LA-
*{ Omne animal est sensitivum,
Omne sensitivum est vivens,
Ergo omne animal est vivens.*

4. Si idem fuerit attributum expressæ propositionis & conclusionis, major propositio desideratur. Ratio est, quia in quarta figura attributum conclusionis semper est minor terminus, qui in minore propositione stabulatur, ut:

*Omne sensitivum est vivens,
Ergo omne animal est vivens.*

Reddita majore, quæ latebat in mente, integer Syllogismus conflatur, ut:

*Omne animal est sensitivum,
Omne sensitivum est vivens,
Ergo omne animal est vivens.*

Enthymemata usus sunt longè frequentissimi apud poëtas & oratores, simul sacros, simul profanos, ut etiam ubi de rebus seriis, & momenti maximi sermo familiaris instituitur: nempe orationis simul robur, simul pulchritudo ex verborum compendio, & sensus magnitudine efflorescit, quæ enim propositiones tacitæ prætereuntur, ut minus notæ, auditorum lectorumve menti supplendæ committuntur, ut & styli brevitati, & mentis subtilis velocitatí, consulatur, quæ ambo pariter allubescunt: quippe alterum fastidium à sermone removet, gratiam auditoris, alterum conciliat. Hinc factum, ut compendiosioris brevitatis studio, & orationis elegantiâ & pro Enthymematis, sententiae Enthymematicæ (quæ integrum syllogismum

num eminenter habent) adhibitæ fuerint, cum à sacris Spiritus Sancti amanuensibus, cum ab oratoribus poëtisque prophaniſ. Aliquot exempla produxiſſe sufficiat. Πᾶς ἦταν τὸν ἀμαρτίαν διδός εἰς τὸν ἀμαρτίαν. Quisquis dat operam peccato, servus est peccati, οὐ δῆλος εἴπειν εἰ τὴ δικία εἰς τὸν αἰῶνα, οὐ δῆλος εἴπειν εἰς τὸν αἰῶνα. Servus autem, non manet in domo perpetuū, filius manet perpetuū, Joan. 8. 34, 35. Is, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum illo, nobis omnia gratificabitur? Rom. 8. 32. Sacrae sunt sententiae Enthymematicæ, quæ integra isthac ratiocinia habent.

Quisquis facit peccatum servus est peccati,

Vos omnes Judæi peccatum facitis.

Ergo omnes estis servi peccati.

Nullus servus perpetuum manet in domo,

Omnes vos Judæi estis servi, scilicet peccati,

Ergo nullus vestrum perpetuum manebit in Domo, Scilicet Ecclesia,

Omnis filius perpetuum manet in domo paterna,

Ego & quicumque in libertatem vindicavero est filius,

Ergo simul ego, simul quicumque in libertatem vindicavero perpetuum in domo paterna manebimus.

Is, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit, omnia cum eo nobis gratificabitur,

Deus filio proprio non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit;

Ergo Deus omnia cum eo, nobis gratificabitur.

Aristoteles lib. 2. Rhetic. c. 21. Eximias habet Enthymematicas sententias ex Euripide, exempli gratia, ἐκ τοῦ θεοτόκου ἀνὴρ εὐδαιμονή, Nemo est, qui omnino vir felix sit: ἐπὶ τῷ μὲν οὐρανῷ εἰσεῖσθαι. Nullus est virorum, qui liber sit. Euripid. Hecuba: ἐδειπέρεις οὖτις ἐκ τοῦ Φίλετον Nemo amator, qui non semper amet, Euripid. Troad. Αἴθαλην οὐγάντην τὸ φύλακας εὐτίξει. Immortalem iram ne ferves, cum sis mortalis. Hæ omnes cedro dignæ sententiae integrae habent ratiocinia, ut:

Nemo mortalis servare debet iram immortalem,

Tu vero, bone vir, mortalis es,

Ergo iram immortalem servare non debes.

Non absimilis est Medeæ apud Ovidium vehemens isthac sententia.

Servare potui, perdere an possum rogasti?

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Natura & Speciebus Sophismatis.

Sophisma, uti & Sophista δηλοῦσθαι. Sapientiam docere, olim in bonam partem, unde celebres apud Indos Gymnosophistæ, sed nunc temporis, ex quo ex apt.

parentibus Ratiociniis, & fucatâ sapientiâ, quæstum facere malè feriati quidam homuli occepere, in malam partem abidere. Unde Sophistæ Aristoteli sunt, ἡ χειροποίη δύναμις φαινούσης σοφίας ἀλλ' οὐ τοις, qui quæstum faciunt ex apparente, sed non vera sapientia. Nempe fallacia procudunt, & vel sibi, vel aliis ratiocinia venditant, cujusmodi sunt quotquot hæretici sunt, sciolî & peccatores. Age igitur de Syllogismis Sophisticis, non ut sophistas agamus, absit: sed ne incauti ab aliis, vel à nobis ipsis male sani decipiamur, edisseramus, οὐ γαρ σοφίανδες οὐ τοις τῇ δυνάμει, ἀλλ' οὐ τῇ αἰσχρείᾳ, Non enim sophista est, qui potest: sed qui vult fallere: Aristot. 1. Rhetor. c. I.

Verum Ratiocinium, & verus Elenchus est, quippe verè erranti adversario contradicit, habet enim conclusionem falso Theoremati contradicentem, unde Elenchus Aristoteli finitur συλλογισμὸς μετ' ἀντίφαστος Θ συμπλέσουσαν & Syllogismus cum contradictione conclusionis. Falsum itaque ratiocinium seu, ἔξυχος σοφίανδες est συλλογισμὸς μετ' ἀντίφαστος Θ συμπλέσουσαν, Syllogismus cum apparente contradictione conclusionis. Vera contradictione est, affirmatio & negatio ejusdem de eodem, adidem, secundum idem, eodem modo, & eodem tempore. Contrà apparet contradictione est, que videtur simul affirmare, simul negare idem de eodem: sed reapse non affirmat negatque simul, quippe vel una, vel altera veræ, contradictionis conditio defideratur. Quamobrem sophismata quævis, tricæ nodique apparentes sunt, quos Philosophus dextrè expediturus, eos proponit vel in voce, vel in rebus considerando; nimis ἀντίτιτα λύνει ἀγνοεῖν τὸν διστον, nodum solvere haudquaquam potest, qui eum ignorat. Aristot. 2. Metaph. c. 12.

Sophismata in Voce in sex species distribuantur, nempe in sophismata ab Homonymia, ab Amphibolia, a Compositione, a Divisione, ab Accentu, & a Figura Dictionis. Verum horum nonnulla eisque manifesta sunt, ut suo se prodant indicio, & perant uti forex, paucis itaque nobis sunt expedienda.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Sophismatis in Dictione.

Vti nullum Sophisma est, quod ex quatuor terminis non coalescat, & hoc compromis in sophismate ab Homonymia, cernere est, nempe vel subjectum, vel attributum conclusionis secus usurpantur in præmissis, atque in conclusione, vel mediis terminis, bis particulariter adhibetur, vel diversimodè in præmissis.

Verum terminorum Homonymia gemina omnino est, altera nimis admodum crassa & manifesta, ut in hoc Sophismate.

*Omne rotundum fine caret & principio,
Mundus est rotundus,
Ergo Mundus fine caret & principio.*

Principium & finis in majore, Quantitat̄ initium, & finem significant, sed in conclusione durationis, initium & finem sonant. Altera vero Homonymia longè subtilior, mentis aciem ut fugit facilius, & subrepit occultior, ut:

Home

Homo cogitat,
Corpus & anima rationalis conjuncta, sunt homo,
Ergo corpus & anima cogitant.

Cogitare secus tribuitur homini in majore, nempe ratione animæ, quippe actiones & passiones sunt suppositorum, ratione alicujus partis, vel facultatis, tamquam subiecti quo: *cogitare* verò secus tribuitur corpori, & animæ in conclusione. Non absimile erat Stoicorum sophisma, quo mundum esse animal rationale sibi, aliisve persuadere nitebantur.

Quicquid ratione præditum est, utique eo melius est, quod caret ratione,
Nihil Mondo melius est,
Ergo Mundus est ratione præditus.

Mundus collectivè usurpat in minore, nempe pro systematica omnium creaturarum collectione. Sed verò *Mundus* in conclusione distributivè adhibetur, & *Synecdochicè*, pro parte mundi, principe videlicet homine.

Ex præmissis Sophisma ab *Homonymia*, finitur. *Syllogismus*, qui *Theoremati* contradicere videtur, nec tamen reapse contradicit, propter homonymiam, majoris, vel minoris, vel medi termini.

Sophisma ab Amphibologia est *Syllogismus fallax*, qui *Thesi* propositæ contradicere videtur, nec tamen contradicit, propter amphibologiam, hoc est, dictionem ambiguam, & *ancipitis constructionis*. Hujus commatis est pro mortuorum invocatione, sophisma.

Si nomen Abrahami, Isaaci, & Jacobi mortui, invocatum fuit in Ephraimo & Manasse; sanctorum defunctorum invocatio legitur in scriptura,
Verum est prius ex Gen. 48. 16. ubi legitur & invocatur nomen meum in eis, & nomen patrum meorum Abraham & Isaac, &c.
Ergo verum est posterius,

Nomen Jacobi invocari in filiis Josephi, Ephraim & Manasse apud Latinos, sensum fundit ambiguum. nempe vel invocandum esse nomen Israëlis, à filiis Iosephi, vel Iosephi filios de nomine Israëlis, Israëlitas censendos esse. Atenim Hebreworum phrasiology nullam ambiguitatem parit, sed perpetuò de nomine alicujus appellari significat; ut tantum invocetur nomen tuum super nos, Es. 4. 1.

Sophisma Compositionis est *Syllogismus fallax*, qui contradicere videtur, nec tamen contradicit, quippe quæ vera seorsim sunt, concludit vera esse coniunctum, ut ubi Christus infit cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, &c. Luc. 7. 22. Et Paulus Deus justificat impium, Rom. 4. 5. Si quis concluderet cæcos, & surdos, sive adhuc cæcitate, & surditate laborantes, videre & audire, Sophisma Compositionis committeret.

Si cæci vident, & surdi audiunt, qui cæcitate & surditate laborant, vident & audiunt,
quippe cæcitate & surditate laborare, est in idea essentiali, cæci & surdi.

Cæci vident & surdi audiunt,
Ergo qui cæcitate & surditate laborant, vident & audiunt.

Simplicius

INSTITUTIONUM

*Si impii justificantur, qui rei impietatis sunt, justi à Deo declarantur,
Impii justificantur, nempe Deus justificat impium,
Ergo, qui rei impietatis sunt, justi à Deo declarantur.*

*Canis est pater,
Canis est tuus,
Ergo Canis est pater tuus.*

Hic ut in aliis sophismatis sunt quatuor termini, *canis, pater, tuus, & pater tuus.*

Sophisma Divisionis est *Syllogismus fallax*, qui contradicere videtur, nec tamen contradicit: quippe quæ vera conjunctum sunt, concludit vera esse seorsim, ut:

*Quunque sunt unus numerus,
Duo & tres sunt quinque,
Ergo duo & tres sunt unus numerus.*

Sophisma ab accentu, est *Syllogismus fallax*, qui contradicere videtur, nec tamen contradicit ob accentus diversitatem. Sophisma hujuscemodi apud Græcos frequens erat in scriptis propositionibus, nunquam verò in iisdem ore prolati, tempore Aristotelis, ut ipse lib. I. c. 4. de Sophisticis Elenchis in *Dictione* observavit, nempe tempore Aristotelis & ritè pronuntiabant Græci & nondum scriptis appingebant accentus, id demum Ciceronis ætate obtinuit, hoc est, Centum præter propter annos ante Christum natum, ubi Latinis cæterisque Barbaris, lingua Græca usque adeo fuit in delitiis, ut Orator ipse pro Archia poëta asserere non erubuerit; *Græca leguntur in omnibus gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane continentur.* Esto Thesis apud Latinos. *Cicero domi sedens, non movetur de loco in locum.* Hoc sophismate ab Accentu contradici videtur.

*Quicumque leporem sectatur, de loco in locum movetur,
Cicero domi sedens pro excusando Milone, leporem sectatur,
Ergo Cicero domi sedens de loco in locum movetur.*

Sophisma propter Figuram Dictionis, est *Syllogismus fallax*, qui contradicere videatur, nec tamen contradicit, quippe concludit idem convenire diversis propter similitudinem dictionis, ut esto Thesis agaso non est magistratus, valere non significat actionem.

*Omnis minister æqui est magistratus,
Omnis agaso est minister equi,
Ergo omnis agaso est magistratus.*

Item.

*Docere significat actionem,
Ergo valere, significat actionem.*

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Sophismatis extra Dictionem.

Sophismata, quæ extra Dictionem in rebus ipsis cunduntur, ut difficilioris laboris sunt ad expediendum, & paulò penitus examinanda. Sophismatis, quod in rebus

bus committitur, species septem vulgo recensentur, nempe ab Ignoratione Elenchi, à Petitione principii, à non causa, pro causa; ab Accidente, à Dicto secundum quid ad dictum simpliciter, & contrà; à Consequente & à multis interrogationibus. Sed & illis Sophismata ab imperfecta partium enumeratione, & inductione, adnumerari possunt.

Sophisma ab Ignoratione Elenchi, est Syllogismus fallax, qui contradicere videtur, nec tamen contradicit, quia non concidit, quod in quaestione est: sed aliud. Exempli gratia, Aristotelem inter Parmenidem & Melissum quaestio versabatur, num unum sit rerum naturalium principium. Parmenides & Melissus ajebant, nempe principium productionis; Negabat Aristoteles, & plura esse concludebat rerum naturalium principia nimirum, compositionis. Iterum esto meum Theorema *anima hominis est immortalis*. Hic Syllogismus Sophisma est ab Ignoratione Elenchi.

*Omnis anima sensitiva est mortalis,
Anima hominis est sensitiva,
Ergo anima hominis est mortalis.*

Aliud concluditur ab illo, quod in quaestione venit, nempe non queritur utrum anima sensitiva hominis, sit mortalis: sed utrum anima rationalis hominis sit immortalis. Sedenim concluditur animam sensitivam hominis esse mortalem.

Hic vero Sophisma ab Ignoratione Elenchi, species ab aliis Sophismatis diversa, perperam conferi videtur, nimirum omnia Sophismata simul in vocibus, simul in rebus, ignorations Elenchi sunt, quippe contradicere videntur, nec contradicunt, quia in eorum conclusionibus, aliqua desideratur conditio, in legitima contradictione, necessaria. Atenim respondemus, fusa quidem nomenclatione quotquot Sophismata sunt, esse quidem Elenchi Ignorations: sed & hoc speciali nomenclatione, nomine generali insigniri. 1. quippe peccat adversus optimam conditionem, quae est affirmatio & negatio ejusdem de eodem, cetera autem & adversus ceteras peccant conditions. 2. Quia adversarius dum hoc falso Syllogismo adversarium petit, ipse non raro Elenchi ignoratione fallitur, putatque se verum & contradicitorum ratiocinium cudisse. 3. Quia Sophisma istiusmodi numquam irritare potest adversarium, nisi laboret ignoratione Elenchi, putidissima. Ficulneis hujusmodi Sophismatis perpetuo ferè Orthodoxos, Pontifici petunt. Exempli gratia, ubi in hunc modum ratiocinantur.

*Quicquid Christus affirmavit, est verum,
Christus affirmavit Eucharistiam esse corpus, & sanguinem suum.
Ergo Eucharistia est corpus, & sanguis Christi.*

Concludunt quod in quaestione ab ulla Christianorum haut vocatur. Queritur utrum Eucharistia sit corpus, & sanguis Christi secundum substantiam, hoc ipsi paucis ab hinc seculis docent: vel secundum figuram sacramentalem in scripturis solemnem, & in ipso calice Eucharistico evidentissimam, quod Ecclesia Orthodoxa semper credit, docuitque, & docent etiamnum Orthodoxi. Unde liquet Pontificiorum ratiocinium esse purum putum Sophisma ab Ignoratione Elenchi, nempe concludunt Eucharistiam esse corpus & sanguinem Christi, quod non est in quaestio ne

stione ab ullo Christianorum positum. Cum illis concludendum incumbat Eucharistiam esse secundum substantiam, & ut ajunt realiter, non figuratè, corpus & sanguinem Christi. Quamobrem ubi in conclusione affirmant Eucharistiam esse corpus & sanguinem Christi, non affirmant de Eucharistia, quod fuerit unquam de Eucharistia negatum ab Orthodoxis.

Sophisma *προσάρτητος εξηλαμβάνειν à petitione principii, est Syllogismus fallax, qui contradicere videtur, nec tamen contradicit, quia ut verum supponit, & pro medio adhibet, quod in quaestione positum est, mutatis terminis: Exempli gratia; Aristoteles terram esse mundi centrum probaturus ita ratiocinatur.*

*Gravia suæ naturæ feruntur ad centrum mundi, & levia ab eo recedunt,
Gravia feruntur ad terram suæ naturæ, & levia abs terra recedunt,
Ergo terra est centrum mundi.*

Supponit 1. quod æque ignotum est atque quæsumum, nempe gravia ferri ad centrum mundi. 2. Supponit terram esse centrum mundi ex eo, quod gravia ad terram feruntur: sed verò absque petitione principii; ratiocinium legitime procedit hoc modo.

*Id est mundi centrum à quo medio omnes lineæ ductæ ad circumferentiam, sunt æquales,
Omnes lineæ ductæ à terra media, ad cælum, sunt æquales,
Ergo terra est centrum mundi.*

Eiusdem falsi commatis istud ratiocinium est:

*Quicquid ex semine parentum producitur, est ex traduce,
Anima rationalis ex semine parentum producitur,
Ergo anima rationalis est ex traduce.*

Nempe produci ex semine parentum, & esse ex traduce reapse, & ad nos idem sunt, et si termini diversi sunt. Principium petunt Pontificii dum ita ratiocinantur.

*Petrum Christus constituit caput & principem Ecclesiæ, hac sua promissione: tibi dabo claves regni cælorum, & tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,
Pontifex Romanus est Petri successor,
Ergo Pontifex Romanus est caput & princeps Ecclesiæ.*

Nempe ut verum supponunt, quod in quaestione vocatur nimirum. 1. num illa sua promissione Christus Petrum caput, & principem Ecclesiæ constituerit. 2. Utrum Romanus Episcopus sit Petri successor.

Sophisma à non causa pro causa, est Syllogismus fallax, qui contradicere videtur, nec revera contradicit, quia medium terminum uti causam conclusionis habet, qui non est causa: hujus commatis Syllogismus Adversariorum Legis est.

*Quidquid facit peccatum admodum peccans, est rejiciendum,
Lex facit peccatum admodum peccans, Rom. 7. 13.
Ergo Lex est rejicienda.*

Nempe

Nempe facere peccatum admodum peccans, Legi tribuitur, uti causæ: sed modo uti occasioni, vel causæ per accidens tribuitur, ab Apostolo; quamobrem lex non est causa peccati: & quatuor sunt termini, scilicet facere peccatum admodum peccans, uti causam per se, in majore, & uti occasionem & causam per accidens, in minore. Non absimilis est spurius iste & à non causa, pro causa, Sorites.

Si nullum tempus esset, nox non esset,
Si nox non esset, dies esset,
Si dies esset, tempus esset,
Ergo si nullum tempus esset, tempus esset.

Similem à non causa pro causa, Paralogismum struunt Pontificii, suam Ecclesiam veram esse ut probent, dum in hunc modum ratiocinantur.

Antiquissima Ecclesia est vera Dei Ecclesia,
Ecclesia Romana est antiquissima,
Ergo Ecclesia Romana est vera Dei Ecclesia.

Antiquitatem pro medio termino, uti causam connexionis veræ Dei Ecclesie, cum Ecclesia Romana, adhibent. Atenim antiquitas non est causa veritatis, nam ut scilicet Cyprianus Epist. ad Pompejum 74. *Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est:* nempe antiquitas duratio rei est, duratio vero rei modus, seu essendi tractus continuatus, quamobrem antiquitas, rei causa neutiquam est, nec rem facit veram, vel falsam, sed supponit, ut rei veræ & bona antiquitas, vera & bona pariter sit; & rei veræ longus essendi tractus continuatus, contrà rei falsæ & malæ antiquitas, mala falsaque pariter sit, & meritò ejusmodi dixeris antiquitatem Civitatis Diaboli, quam Dei Civitati supparem facit Augustinus.

Eò referenda sunt omnia ratiocinia, quibus imperiti causarum investigatores colligere solent post hoc. Ergo propter hoc. Hac chorda oberrasse videtur & ipse Virgilius.

Ac Striū ardor,
Ille fīstū morbosque ferens mortaliib⁹ ægris,
Nascitur, & lævo contristat lumine cœlum.

Quipote vero? nam Sirius stella in ore canis extra *longitudinem*, *Circulum Eridiæ*, posita, si causa ardoris foret, loca quibus ad perpendicularim imminet, diebus canicularibus, ardore summo torreret. Contrarium tamen docet experientia, & brumam pluvialem eò conferre. Paralogismorum à non causa; causa gemina omnino est, nimurum naturalis causarum germanarum ignorantia, & inolita cordi humana superbia: memorabilium effectorum quamlibet causam potius assignaverint superbi mortales, Tempus, *omnia fert ætas, animum quoque, Sympathiam, Antipathiam, vim magneticam, qualitatem occultam, & cætera id genus, pura puta ignorantiae ægrotib⁹, & vanæ superbiæ pallia supercilioſorum hominum, quos suam ignorantiam ingenua confiteri pudet.*

Sophisma *παρὰ τὸ συμβεβηκός ab Accidente, est Syllogismus fallax, qui contradicere videtur, nec revera contradicit, quia ex eo, quod attributo, vel subiecto convenit per accidens, concludit absolute, quasi per se conveniret, ut:*

INSTITUTIONUM

Quicquid iram operatur est rejiciendum,

Lex iram operatur, Rom. 4. 15.

Ergo lex est rejicienda.

Iram operari, Legi subiecto quæstionis concludendæ convenit *per accidens*, nempe per *naturam hominis corruptam*, non autem *per se*, quippe iram operari, nec in Idea essentiali Legis comprehenditur, nec ab ea fluit ut modus necessarius. Non absimilis est Epicureorum paralogismus, quo Deos humana figura præditos esse colligebant, apud Ciceronem lib. I. de Nat. Deor. hoc modo.

Dii sunt beati,

Beatus autem sine virtute nemo esse potest,

Virtus sine ratione constare non potest,

Ratio non est sine hominis figura,

Ergo Dii humana figura sunt prædicti.

Inesse figuræ humanæ, rationi accedit, & ex illo accidente pueriliter absolutè concludebant, figuram etiam humanam Diis convenire. Id paralogismi ab accidente comiter Cotta reprehendit. *A beatis ad virtutem, à virtute ad rationem video te venisse gradibus; à ratione ad humanam figuram quemodo accedas? præcipitare istud quidem est, non descendere.* Non absimili Paralogismo utuntur Pontifici, ut Christianos à lectione Scripturæ Sacræ deterrent.

Quicquid origo fuit omnium errorum & hæresium, non est Laicis committendum,

Lectione Scripturæ Sacræ fuit origo omnium errorum & hæresium,

Ergo Lectione Scripturæ Sacræ, Laicis non est committenda.

Eò referenda sunt Sophismata cù tñs mñtbñctos eis à m o yirç, in quibus fit transitus de genere in genus, ut:

Homo est universalis,

Petrus est homo,

Ergo Petrus est universalis.

Hic fit transitus ab essentia ad accidens, nam *universalitas* est accidens naturæ humanæ, et si vero quicquid necessariò superiori convenit, conveniat & inferiori, attamen inferiori non convenit quicquid accidentariò convenit superiori.

Sophisma à *Dicto simpliciter ad dictum secundum quid*, & contrarium, ut finiatur, primùm omnium finiendum est *dictum simpliciter*, & secundum *quid*. *Dictum simpliciter est propositio cuius attributum subiecto convenit ab solutè & sine limitatione.* Contra *Dictum secundum quid, est propositio cuius attributum subiecto convenit secundum quid*, hoc est, secundum aliquam partem, naturam, & habitudinem, non vero absolute & sine limitatione.

Sophisma itaque à *Dicto simpliciter ad Dictum secundum quid, est Syllogismus fallax*, qui contradicere videtur, nec revera contradicit, quippe ab eo, quod ab solutè subiecto attribuitur, secundum quid illi attribui concludit, ut:

Qui

*Qui dicit te esse animal, dicit verum,
Qui dicit te esse bubonem, dicit te esse animal,
Ergo qui dicit te esse bubonem, dicit verum.*

Similem paralogismum struunt Pontificii dum ita ratiocinantur.

Portæ inferorum non superabunt Ecclesiam, Matth. 16. 18.

Ecclesia Romana est Ecclesia,

Ergo portæ inferorum eam non superabunt, manebit itaque in perpetuum, omnibus hæresibus immersabilis.

Christus absolutè loquitur de vera, & universali Ecclesia, illi verò ab absoluta Christi locutione, colligunt secundum quid ad Ecclesiam Romanam, quæ nec universalis, nec vera Christi Ecclesia est, quippe quæ miserum in modum à prima sua puritate, & charitate defecit.

Sophisma à Dic̄to secundum quid ad Dictum simpliciter, est Syllogismus fallax, qui contradicere videtur, nec revera contradicit, quippe ab eo quod subiecto tribuitur secundum quid, absolutè illi tribui colligit: ut esto Theorema. *Christus est aeternus Dei filius.* Infāsti Sociniani hoc Sophismate contradicere videntur.

Qui factus est ex muliere in plenitudine temporum, non est aeternus Dei filius,

Christus est factus ex muliere in plenitudine temporum, Gal. 4. 4.

Ergo Christus non est aeternus Dei filius.

Hujus commatis est Pontificiorum Sophisma, quo adversus Orthodoxos colligere videntur, eos bonorum operum necessitatē abdicare, ex isto eorum Theoremate *Bona opera ad justificationem peccatoris, non sunt necessaria.*

Qui docent bona opera non esse ad justificationem necessaria, bonorum operum necessitatē abdicant.

Protestantes docent bona opera non esse ad justificationem necessaria,

Ergo Protestantes abdicant bonorum operum necessitatem.

Ejusdem farinæ est Bellarmini ratiocinium, quo lib. 2. de Imaginibus cap. 6. colligere videtur, Christianos usos semper Imaginibus ex eo, quod Judæi in Talmude Christianorum religionem & locum ubi congregantur בֵּית עֲבוֹרָה וְרָה Beth avoda zara, Domum cultus extranei, seu Idolatriæ, appellant. Verū famosa hæc Christianorum appellatio non legitur in Misna Talmudis, quam Rabbi Jehuda hakkadosch, id est, Sanctus ex schedis omnium Iudæorum consarcinavit anno Christi præter propter ducentesimo, ne lex oralis oblivioni traderetur. Hæc enim Misna tractatum habet sub hoc titulo *Havodah Cocavim*, hoc est, de cultu stellarum, qui vehementer Gentilium Idolatriam perstringit, sed religionem Christianam intactam præterit, ubi perstringenda erat, siquidem ducentesimo post Christum anno usus religiosus imaginum in orbem Christianum inventus fuisset. Gemaram partem Talmudis alteram, quæ in Misnajot Rabinorum quæstiones & decisiones habet, Rabbi Ase compilavit, anno Christi præter propter quingentesimo, hæc vero rarenter admodum in Christianos imaginum ergo animadvertis. Unde per liquidum fit ad finem quarti seculi partem quidem Christianorum ad usum ima-

INSTITUTIONUM

ginum religiosum nefariè deflexisse. Sophisma itaque à *Dicto secundum quid*, *Ge-*
maræ & commentariorum Rabbinorum, *ad dictum simpliciter*, Bellarminus nobis
cudit, ubi colligit cultum imaginum absolutè usurpatum à Christianis, quòd pars
eorum, quarto demum, quinto & sequioribus seculis, eum usurpaverint.

Huic Sophismati adnumerari potest, Sophisma à *dicto secundum quid*, *ad dictum*
aliud secundum quid. Hujusmodi Sophismate Diabolus Christum irretire tentavit;
nam ex eo quod habetur Ps. 91. 11. Angelis suis præcipiet de te, ut conservent te in
omnibus viis tuis. colligit, Christum posse sine metu & periculo se se præcipitem
dare è templi pinnis.

Sophisma ~~πληρὸν ἀτέλειον~~ *Consequentis*, est *Syllogismus fallax*, qui contradicere vi-
detur, nec revera contradicit, quia vel præmissarum alteram, vel conclusionem colligit
ex præmissis, ex quibus non sequitur, quippe naturam conversionis propositionum,
& legitimæ consecutionis violat, ut:

Omne corpus est substantia,
Nullus Angelus est corpus,
Ergo nullus Angelus est substantia.

Hic natura Syllogismi primæ figuræ simul violatur, nempe minor c. negans,
simul natura legitimæ consecutionis, nempe à negatione antecedentis videlicet
corporis, ad negationem consequentis scilicet *substantiæ*, illegitima consecutio est.
 Hoc Sophismate pugnant Pontificii pro suo Trinitatis speculo ad fulciendam
Sanctorum invocationem, conficto.

Si defunctorum sanctæ animæ ab ipso sua beatitudinis initio in Deo non pervident
uti in speculo, quæcumque ad eas spectant, non sunt beatæ,
At Beatæ sunt,
Ergo in Deo uti in speculo pervident quæcumque ad eas spectante.

Nempe hoc consequens *sanc& tæ animæ non sunt beatæ*; Ex hoc antecedente, non
pervidere in Deo, quæcumque ad eas spectant haut sequitur, scilicet 1. infinita
cognitio, quæ in finitum sanc&tarum animarum intellectum competere non po-
test, nihil conducit ad animarum beatitatem. 2. preces viventium ad Angelos & de-
functos nil quicquam spectant ad animas sanctas, quid enim sanctis animabus, cum
crimine mortalium? 3. eorum omnium, quæ ad sanctas animas spectant, notitia, ni-
hil confert earum beatitati; nam & ultimi judicii diem, & vindictæ Deo debitæ ob
effusum earum sanguinem, tempus præstitutum ignorant Apoc. c. 6.

Sophisma ~~πλυντήσιος~~ *a multis interrogationibus*, est *Syllogismus fallax*, qui con-
tradicere videtur, nec revera contradicit, quia pluribus interrogationibus subdole in unius
speciem compositis, una incaute responsio adhibita fuit. Exempli gratiâ. Theore-
ma esto Angelus est immortalis, & homo mortalis Sophista percontabitur. *Homo &*
Angelus est ne corpus, an Spiritus? Si respondeas, *est Spiritus..* Sophista te in hunc
modum aggredietur.

Nullus Spiritus est mortalis
Homo est Spiritus ex responsione,
Ergo nullus homo est mortalis.

Contra

Contraī reposueris *Est Corpus.* Sophista altera ex parte interrogationis bipartita te iterum aggredietur.

Omne corpus est corruptibile,
Angelus est corpus. Ex responsione,
Ergo omnis Angelus est corruptibilis.

Hoc Sophismate Pontificii protestantes aggrediuntur hoc modo. *Vera Ecclesia semper visibilis nec ne?* Si respondeas *est visibilis*, Illicò reponent.

Vera Ecclesia est semper visibilis,
Vestra Ecclesia non erat visibilis ante Lutherum,
Ergo vestra Ecclesia non est vera Ecclesia.

Contra si responderis *est invisibilis.* Aliâ viâ te aggredientur.

Vera Ecclesia est invisibilis, ex responsione,
Vestra Ecclesia nunc non est invisibilis,
Ergo vestra Ecclesia non est vera.

Sophisma ab imperfecta partium seu modorum enumeratione, *est Syllogismus fallax*, qui contradicere videtur, nec revera contradicit, quia ab imperfecta partium modorum vel fictorum, vel realium enumeratione colligit, vel rem non esse, vel tali modo esse, cum & alio modo non enumerato esse posse. Hoc Sophismate Tridentini Conciliabuli Sophistæ strenuissimi Dominicani & Franciscani de modo præsentiae corporis Christi in Eucharistia digladiati sunt, utrisque in partes suas sibi fucum facientibus, bella hac modorum confititorum enumeratione.

Corpus Christi est in Eucharistia præsens per actionem producentem, vel per actionem adducentem,

Non est præsens per actionem adducentem, nempe nulla foret transubstantiatio, hoc est, substancialis mutatio panis in corpus, & vini in sanguinem Christi.
Ergo corpus Christi est præsens in Eucharistia per actionem producentem.

Ita quidem Dominicani. Contra eadem imperfecta confititorum modorum enumeratione; sed alia via Franciscani.

Corpus Christi est præsens in Eucharistia per actionem producentem, vel per actionem adducentem.

Non est præsens per actionem producentem, nempe quotidie fieret ex substantia panis, quod ex substantia virginis a sexdecim retro seculis factum est.
Ergo corpus Christi est in Eucharistia præsens per actionem adducentem.

Sic misere pereunt mutuo vulnere fratres & lis sub judice est, præstabat sapere ex Scriptura, & ex perfecta enumeratione modorum, veram conclusionem colligere, sapientum in morem.

Corpus Christi est præsens in Eucharistia, vel secundum modum Substantiale, vel secundum modum sacramentale, quo signa sacra, nominibus rerum significatarum induuntur.

Cer-

Corpus Christi non est in Eucharistia præsens secundum modum substantialem, quia cœlo receptum est ad seculorum consummationem, Act. 3. 21. Et quos donariis honoremus pauperes, semper sumus habituri, sed non semper habebimus Christum, Matth. 26. 11. Ioan. 12. 8.

Ergo corpus Christi est in Eucharistia præsens secundum modum sacramentalem.

Sophisma ab imperfecta Inductione est Syllogismus fallax, qui contradicere videtur, nec revera contradicit, quippe generalem conclusionem colligit ab imperfecta particulatum inductione. Perfecta induc^{tio} omnium ferè scientiarum causa germana est. Hoc vidit & docuit magnus Aristoteles γνῶστας ἐν τῷ μήνῃ εὐπειρίᾳ τοῖς αὐτοῖς οἷς γὰρ πολλὰ μνῆματά ἔχοντας, μιας εὐπειρίας δύναμις ἀποτελεῖται, δοκεῖται δὲ εἰσιθεντὴ τικην διὰ τῆς εὐπειρίας. Fit autem ex memoria experientia hominibus, multæ enim ejusdem rei memoria, unius experientiae vim efficiunt, per experientiam autem, ars & scientia efficitur, Metaph. 1. c. 1.

Exempli gratia homines s^ep^ee oculis Eclipsim Lunæ usurparunt, causam hujus & illius Lunaris Eclipseos rimati, compererunt terre interpositionem, Lunam luce privare, ex multis illis hujusce sensibilis effectus perceptionibus, nata est hæc, & illa experientia, ex pluribus illis experientiis Scientia, hoc est, universalis hæc conclusio. Omnis Luna^e Eclipsis est defectus lucis in Luna propter terram interpositam solem inter & Lunam. Ita quippe multis experimentis constat hanc & illam, & aliam gentem animi sensa sono articulato cum aliis commutare. Hinc facta plurium gentium inductione experimentali, conclusio hæc universalis fuit rite collecta. Omnes gentes sensa animi verbis mutuo reddit^u & commutant. Ita quod experimento compertum fit, aquam Ocean^e Eoi, Atlantici, Hyperborei, &c. esse falsam, hinc facta inductione plurium hujuscemodi experimentorum, conclusio universalis ritè elicita est, omnem aquam marinam esse falsam.

In rebus naturalibus plur^es experientia similes, perfectam faciunt inductionem. Sicut & in capitibus fidei, ad salutem spectantibus, ob certam & immutabilem Numinis constitutionem & voluntatem. Ita Paulus facta inductione Abrahami per fidem absque operibus justificati, & Davidis iterum per fidem justificati, hanc universalem conclusionem elicit: nimurum hominem justificari per fidem; absque operibus Legis Rom. 3. 27. & 4. Sed vero in rebus artefactis secus se res habet, nempe ars naturæ accidit, & eam constitutam supponit, nec penitus mutat, & pro versatili hominum ingenio varia procedit artefacta, unde ex bene multis artefactorum experimentis, nulla potest constare scientia. Quamobrem imperfecta induc^{tio} rerum artefactarum jure merito semper haberi potest. Contrà in rebus naturalibus bene multæ experientiae, certam pariunt conclusionem universalem, ita certo concluditur, aquam omnem fluviatilem esse dulcem, facta multarum aquarum fluviatilium experimentali inductione.

Hoc Sophisme ab imperfecta Inductione Pontificii Sanctorum Invocationem probare nituntur, quod August. de Civitate Dei lib. 22. c. 8. narraverit cæcum esse illuminatum Mediolani immenso populo concurrente ad corpora Martyrum Gervasii & Protasii; Cæcam mulierem ductam ad Episcopum Projectum portantem reliquias martyris glorioissimi Stephani, vidisse, ubi oculis flores, quos dedit Episcopus, primum admovit: puerum exorbitantium boum, qui vehiculum trahabant,

bant, rotâ obtitum, & confessim palpitantem, & expirantem, ad memoriam S. Stephanij à matre impositum, non solum revixisse: verum etiam illæsum apparuit. Hinc colligunt, invocandos esse Sanctos, quando Deus tot miracula, teste Augustino, aduersus invocantes sanctos defunctos, Gervasium, Protasium, Sanctum Stephanum, patraverit. Verum enim verò imperfecta inductio est, nam in exemplis laudatis narrat quidem Augustinus, sanatos illos miraculosè, orasse ad memorias, hoc est, ad monumenta sepulchralia Martyrum, sed verò nusquam monuit orasse illos, vel invocasse Martyres, quod unum robur in Inductione defideratur. Contra verò evidentissime innuit Augustinus eos Christum orasse eadem fide, qua Stephanus oraverat, nam caput 8. his verbis concludit pius Augustinus.
Quid erat in cordibus exultantium, nisi fides Christi, pro qua Stephani Sanguis effusus est?

INSTITUTIONUM LOGICARUM,

PARS QUARTA.

DE METHODO.

CAPUT PRIMUM.

De Necessitate & Natura Methodi.

Πατές ἀνθρώποις οἱ εἰδίνεις οὐτε γένεσις φύσις. *Omnis homines naturam scire desiderant.*
 Arist. i. Metaph. i. Hinc singulis sensuum innatus amor, hinc innata cunctis curiositas, rerum, & effectorum paulò memorabiliorum facultas indagatrix. Sed verò scientia gemina omnino est, altera δόλη, quod res sit: ut quod Solis & Luna Ecclipsis sit, quod virga Moysis in serpentinem, & aqua in vinum conversa fuerit, quod tres personæ sint in uno Deo, quod secunda sermo caro factus, & Immanuel fuerit, quod minima atomus sit in infinitum divisibilis, cæteraque id genus simul in religionis mysteriis, simul in rebus naturalibus & arte factis, innumera: altera δόλη cur res sit, qua effectum per causam & rationem proximam, certò novimus & evidenter: Prima principia, quæ propria luce in sui assensum pertrahunt, rerum finitiones, seu ideas essentiales, novimus intelligentiā, & scientiā δόλη, non vero δόλη. Theorematata necessaria, seu conclusiones partas per demonstrationes novimus scientiā δόλη. Theorematata verò contingentia parta per Syllogismum probabilem opinione novimus, quæ comitem habet errandi formidinem; Ad scientiam δόλη non raro methodus necessaria est, sed verò semper ad scientiam δόλη: nempe siue corpori via strata necessaria est, quam infistat ducentem quò tendit, ne aberret à scopo. Non secus & mens, quippe non una perceptione, propter finitam ca-

pacitatem, & rerum compositarum gradum multiplicem, multa format judicia atque ratiocinia, ut rem totam complectatur, opus habet ordinata super rebus, iudiciorum & ratiociniorum serie, quæ methodus jure merito appellatur; absque qua foret, perplexa & involuta suopte opere, ut bombix numquam tutò grallaretur quo tendit, numquam certam & indubiam rerum investigandarum scientiam assequeretur: nempe mens in judicando, & ratiocinando vere & rebus ipsis opportunè, naturam momentorum rebus insitorum imitari, & sequi debet, sive ordine retrogrado ab effectis ad causas, & fine ad media progrederiatur; sive à causis ad effecta, & à mediis ad finem ordine naturæ generantis descendendo, procedat.

Verùm res in quarum cognitionem grallatur mens hominum, quatuor omnino generum sunt: aliae *notæ per se*, nimirum prima principia omnibus scientiis communia, ut totum est *majus sua parte*, impossibile est idem simul esse, & non esse &c. eorum intelligentiam mens hominum ut assequatur, nulla opus est methodo, nempe obtrutu, & velut primo passu menti fiunt obviam: alia quidem per se menti innotescunt, ubi semel obvia sunt: cujusmodi sunt ideæ rerum: essentiales finitiones; sed verò ipse multis circumstantiis modisque coessentialibus & accidentariis stipatæ menti tandem ut revelentur, multa indagine & progressu recto opus habet, quam methodum in vestigandi ideam essentialiem jure merito dixeris. Tertium genus eorum est, quæ obscure quidem, & utcumque innotescunt, quæque spem clara suæ veritatis nobis faciunt, cujusmodi problemata sunt, & arduæ quædam quæstiones, quæ ut resolvantur & in plena luce locentur, sedula mentis indagine & accurata methodo opus est. Quartum demum genus eorum est, quæ menti hominum *ἀνταλλαγή* plane sunt, vel quia necessariis eò ducentibus principiis omnino caret; vel quia infinita sunt, nulla proportione menti finitæ commensurata, cujusmodi Deus in se, seu divina essentia est, nempe *lucem inaccessam habitat*, quam nemo hominum vidit, aut videre potest, 1 Timoth.6. ad ejusmodi *ἀνταλλαγή* nulla plane methodus est, nempe oleum perdunt & operam, qui in iis *ἀνταλλαγοῖς* pertingendis & pervidendis, viam seu methodum imaginariam sibi aliisve sternunt. Veram *ἀνταλλαγή* istiusmodi duum omnino sunt generum, alia secundum essentiam ut æternitas, Deus &c. alia ubi existere concipiuntur incomprehensibilia sunt secundum modum existendi: Exempli gratia, unitas Dei in Trinitate personarum, & Trinitas in unitate, generatio & incarnationis filii, processus Spiritus Sancti, modus quo electorum mentes disponit ad objecta Euangelii credenda &c. sicut in rebus naturalibus modus quo homo formatur in utero, uniones in conchis, aurum & cætera metalla in terræ visceribus, & animalia *εὐτόνως* in fimo limoque, & atomus sit divisibilis in infinitum. Rem vero sic se habere demonstratione evidentissima paret. Nempe atomus corpus est, extensa itaque & composita est ex partibus extensis: nam duo extensis extensionis nihil nullæ efficiunt extensionem, partes itaque in quas dividit potest atomus, vel sunt extensa, vel non, si posterius, non possunt corpus, hoc est, extensam substantiam componere: nam duo extensionis nihil nullam extensionem efficiunt; si prius, divisibiles sunt, in partes iterum divisibiles ob eamdem rationem: itaque certissimum est, atomum esse in infinitum divisibilem. Ecce vero & quomodo? è genere eorum est, quæ menti finitæ sunt prorsus *ἀνταλλαγή*: ut supercilium homini mortalium superbissimo deprimatur. Quamobrem in his & similibus methodum

ām sibi perstruere, ad investigandum modum, quo sunt, stolidæ audacie est. Itaque methodus menti necessaria est, qua grassatur ad notitiam veritatis, vel falsitatis Quæstionis propositæ, siquidem Theorema fuerit; vel possibilitatis, aut impossibilitatis, si sit problema.

Methodus igitur, nomenclationem si spectaveris, ex usq; & id; via pro-gressum mentis, à notis ad ignota, sonat. Rem verò, legitimam & rerum naturis conuenientem multorum judiciorum, & ratiociniorum de uno pluribusve subjectis dispositio-nem, ut mens à nota ad ignotam veritatem grajetur; vel cognitam, alii ordine oppor-tuno persuadeat.

C A P U T S E C U N D U M.

De Methodo gemina, Synthetica & Analytica, quomodo con-veniant differantque invicem.

Mens hominum è notis judiciis veris, ad notitiam veritatis aut falsitatis proposi-tionis, sive illa Theorema, sive problema fuerit, sibi vel aliis faciendam grar-satur. Si aliis, cognitam sibi veritatem persuadere nititur Methodo Synthetica Compositio-nis seu Doctrinæ: sed contra si ignotam veritatem ex nota quadam præ-via, cognitam sibi facere studet, Methodo Analytica, Resolutionis, seu Inventio-nis, procedit.

Conveniunt itaque ambæ Methodi. 1. Origine progressus, quippe in ambabus mens hominum à notioribus ad ignotiora progreditur, nempe in omni methodo seu mentis processu; mens per varia judicia atque ratiocinia, latentem veritatem amplectendam, vel falsitatem rejiciendam inquirit: sed vero id operis numquam molietur absque prævia cognitione, vel effectus cuius causam investigat, vel causæ cuius effectus inquirit; vel coherentiae aut discoharentiae subjecti & attributi, quorum ideam utcumque perspectam habeat necesse est, nimurum ignoti nulla cu-pido. Exempli gratia Aristoteles Problematum Sect. 12. Quærit utrum arcus cæle-stis arbores, in quas incubuit, reddat odoratas? & si hoc, quod ajunt verum sit, iterum querit quam ob causam: ad ambas illas veritates investigandas, mens methodum seu progressum ut instituat, quid sit arcus cælestis, quid arbores, quid odoratum esse, quid denique odoratum reddere, prius ut noverit, necesse est. 2. Conveniunt fine progressus, nempe ambæ à notioribus eum in finem procedunt, ut veritatem, vel falsitatem latentem & incognitam, mens hominum assequatur. 3. In utraque Metho-do mens gradatim progreditur à gradu ad aliud gradum conjunctum, & iterum à secundo gradu ad tertium conjunctum, & sic deinceps ad gradum summum seu extreum, ubi tandem compos veritatis placide conquiescat, quem in finem colli-nebat adepta, viatoris adinstar, qui incessanter movetur, dum in locum sibi praestitum pervenerit.

Sed verò longe differant nempe. 1. Methodus Synthetica descendendo pro-greditur, Analytica contra ascendendo. Sicut in vestigando Henrici quarti Gallo-rum monarchæ, stemmate regio, progressus potest institui geminus: vel descen-dendo

dendo à Ludovico nono Gallorum Rege 44. ad filium Robertum, à Roberto ad Ludovicum, à Ludovico ad Petrum, à Petro ad Ludovicum Bonum, & sic deinceps, continuata masculorum serie ad Henricum Magnum, ea enim Methodo evidentissime demonstratur Henricum à Sancto Ludovicō descendisse: vel contrarius institui potest ascendendo progressus ab Henrico Magno ad Antonium Parentem Regemque Navarræ, ab Antonio ad Carolum, & sic deinceps ordine retrogrado, & continuata masculorum serie ad Sanctum Ludovicum Regiae stirpis caput. Non fecit & Euangelistarum in pertexenda Christi Regis regum genealogia, Matthæus descendendo ab Abrahamo (cui semen benedictum promissum à Numine fuit) ad Christum progressus est: Lucas verò ascendendo à Christo ad Adamum (cui semen mulieris, seu hominis promissum fuerat,) ordine retrogrado processit. 2. Methodus Synthetica à notioribus naturâ, simplicioribus, universalioribus, principiis, causis & partibus, ad ignotiora naturâ, magis compositâ, minus universalia, conclusiones, effecta & tota procedit. Sed contra Methodus Analytica à notioribus nobis, compostioribus, minus universalibus, conclusionibus, effectis & totis; ad notiora naturâ, simpliciora, universaliora, principia, causas & partes grassatur. 3. Methodus Synthetica, ordinem *Naturæ generantis* sequitur, à causis ad effecta, & partibus ad tota. Contrà Methodus Analytica ordinem *Naturæ intendentis perfectionem*, imitatur, & à fine, effectis, totisque, ad media, partes, & causas per gradus alcedit. 4. Scientia speculativa, quarum finis nuda veritatis cognitio est, methodo Synthetica progrediuntur, nempe à principiis & causis, ad conclusiones & effecta. Verum Scientiæ practicæ methodo utuntur Analytica, nempe finem cognitum & adeptum (qui effectus est secundum esse reale, et si causa mediorum est secundum esse cognitum) in media remota & proxima, quibus obtinetur resolvunt. Exempli gratia, Ethica fœlicitatem cognitam resolvit, in media remota videlicet facultates animæ rationalis, & media proxima nimirum actiones morales, animi passiones, & virtutis habitus, quibus hominum fœlicitas comparatur. 5. Theorematum concluduntur Methodo Synthetica per principia demonstrationis. Sed vero Quæstiones & problemata dirimuntur Methodo Analytica. Exempli gratia, esto quæstio perstringenda adversus Atheos, quibus merum problema est, *utrum anima rationalis sit immortalis?* Abs Cogitatione animæ rationalis effecto, ad ipsius immortalitatem ascenditur Methodo Analytica in hunc modum. Cogitatio animæ in comprehensione ideae suæ essentialis, nihil habet corporeum & extensem, quippe de cogitatione animæ, verè potest negari, quicquid affirmatur de substantia extensa, nimirum esse longum, latum, & profundum, esse partibus distinctum, figura quavis præditum, rotundum, quadratum, triangulare &c. esse divisibile, mensurable &c. Cogitatio modus est animæ rationalis. Ergo non est modus substantiae extensæ, quia modus, nec esse, nec concipi potest sine re, cuius est modus, ut contractio manus, nequit concipi sine manu, & brachii decussatio, nequit pariter concipi sine brachio, quamobrem res, & quæ in idea rei essentiali comprehenduntur, vel ab ea corriuantur necessariò, verè negari non possunt de ipsius modo, quandoquidem modi habitudo ad rem, est modo interna & essentialis. Cogitatio itaque modus est substantiae inextensa. Substantia inextensa est indivisibilis, substantia indivisibilis, non potest in partes dividi & resolvi, Anima igitur rationalis cuius Cogi-

Cogitatio modus est, non potest resolvi in partes. Ex illa methodo Analytica, qua ascenditur ad hanc propositionem, *Anima rationalis non potest resolvi in partes*, Methodo demum Synthetica, efflorescit hæc Demonstratio, qua evidenter & necessariò colligitur; *Animam rationalem esse immortalem: Omne vivens quod non potest resolvi in partes & per dissolutionem destrui, est immortale. Animarationalis est vivens, ut pote cogitans, nec potest in partes dividii, & per dissolutionem destrui. Ergo animarationalis est immortalis.*

CAPUT TERTIUM.

De Methodo Synthetica.

Methodis Synthetica seu *Compositionis*, scientiarum omnium parentes legitima, & fidus mentis *opus*, digna est exacta explicacione.

Quæ de hujusmodi Methodo, cum Analytica comparata, hactenus edisserimus, nunc nobis abunde suppeditant ipsius finitionem. *Methodus Analytica mentis est agitatio & progressus, quo principiis, finitionibus, natura notioribus, simplicioribus, universalioribus & causis, ad conclusiones, finitas, natura ignotiora, compositiona, minus universalia & effecta procedit.* Hæc vero ut in clara luce constituta, omnibus fiant conspicua, Menti humanæ hac Methodo ad Scientiam gravissimæ fines & regulæ figendæ sunt, ad quas, uti nauta ad pixidem nauticam, attenta, ad portum tutum veritatis & scientiæ læta demum appellere valeat, secura à scopulis, & perplexis erroris ambagibus.

Regulæ Axiomatum.

1. *Axiomata seu principia sunt propositiones primæ, quæ per se & suspte luce fidem suæ veritatis, hoc est, cohærentiæ attributi cum subjecto, faciunt: ut omne totum est majus sua parte: Impossibile est idem simul esse, & non esse. De qualibet re, vera est affirmatio vel negatio: Quicquid comprehenditur in idea rei perfecta verè potest de re affirmari, quicquid non comprehenditur in idea rei perfecta, nec ab ea necessariò fluit, verè potest de re negari. Non ens non potest esse causa. Quicquid est vera perfectionis in effectu, continetur formaliter, vel eminenter in causa ipsius prima & adiquata. Nullus spiritus finitus potest comprehendere objectum infinitum. Personæ infinitè veracis, infinite bonæ, infinite sapientis, intelligentis, & potentis, testimonio magis credendum est, quam accuratissimæ demonstrationi.*

2. *Ubiunque attenta idearum subjecti & attributi cuiusvis propositionis consideratio, mentem docet, ideam attributi contineri in idea essentiali subjecti, hujusmodi propositionis, Axioma, seu principium, seu propositio indemonstrabilis est. Nimis illiusmodi propositiones eam habent veritatis evidentiam, quæ per demonstrationem conciliari potest, quippe Demonstratio ope tertiaræ ideæ, id unum declarat, scilicet attributum cohærente cum subjecto: sed verò principia, seu axiomata absque ope tertii, evidentem & conspicuam omni attento animo, habent attributi cum subjecto cohærentiam.*

3. *Ubi sola idearum subjecti & attributi attenta consideratio, & plena perceptio, non ostendit*

INSTITUTIONUM

ostendit evidentissime ideam attributi cohaerere & comprehendendi in idea subjecti. *Hujusmodi* propositio non habenda est pro axiomate, seu principio.

4. Altud est clare & distincte rem percipere, aliud vero scire, unde haec evidentia in animis nostris ingeneratur. Omnia Axiomata attento cuivis animo perfecte, hoc est, clare & distincte per se percipiuntur: sed evidenter veritatis eorum in animis nostris ingeneratur ex isthoc primo evidentiæ principio, nempe quicquid comprehenditur in idea rei essentiali, de re potest vere affirmari. Peristud evidentiæ principium, omnia Axiomata affirmativa Demonstrari possunt, exempli gratia. *Quicquid in idea rei perfectæ evidenter comprehenditur, vere potest de re affirmari.* Atqui esse majus sua parte evidenter comprehenditur in idea perfectæ cujuslibet Totius. Ergo de quolibet Toto vere affirmare possumus, & esse majus sua parte.

5. Axiomata nulla habeantur, nisi illæ propositiones, quarum veritas, hoc est, subjecti & attributi cohaerentia, per se & absque ope idea tertie, est evidentissima.

6. Propositio illa evidentissima habeatur, cujus veritas, hoc est, attributi cum subiecto immediata cohaerentia, cuivis attento animo fit conspicua.

Regulæ Finitionum.

1. Finitio gemina est, altera Nominis; altera Rei.

2. Ita finiantur nomina, ut omnis homonymia & ambiguitas amoveatur. Hoc est, mens in docendis accurata methodo, vel discendis scientiis nomina, quibus rerum ideae menti significantur, & in ea excitantur, ita præfactè uni ideae significandæ & excitandæ addicat, ut numquam aliam ideam in mente excident: nempe nisi cautio hujusmodi in terminis finiendis adhibeat, mens hominum ab una idea ad aliam facile divertit. Unde fit ut maximam partem contendentium controversiarum, puræ putarint *λογικας* alias hoc, aliis alio sensu idem nomen usurpantibus.

3. Nomina terminorumve finitio, unicuique libera esto; alios prius modo præmonerit, se id nominis singulariter usurpare ad hanc ideam significandam & excitandam. Hanc Stoici cautionem, quod sponte & superciliosè spreverint, adiectis in suam Moralem novis terminis, ad easdem ideas significandas, quibus ciendis usitata vocabula destinabantur, plurimas cum Academicis ceterisque philosophis, lites seu potius *λογικας* sibi crearunt.

4. Quævis vocabula usu recepto significatu usurpata censeantur nisi, qui iis abutitur, prius adversarium, vel auditorem monuerit, se tali termino abuti, non ad ciendam solemnem ideam, sed hanc, vel aliam planè diversam. Nempe verba valent usu hominum, ex conventione publica ad colendam Societatem, nemini itaque singulari fas est, in scia societate in usum, seu significatum planè diversum ea trahere: quamobrem nisi prius Societatem monuerit de singulati & libero suo abusu, iis uti censendum est pro consueta, & usu recepta eorum significatione.

5. In finiendis rebus, null a adhibeantur nomina anticipatae significationis, sed notissimæ certissimæque omnia.

6. Exactæ rerum finitiones ex genere, vel specie proximi, & differentia essentiali rei finitæ, efflorescant.

7. Rei finitio, quæ perfectam rei ideam comprehendit, accurata censeatur.

8. Perfecta & essentialis Rei idea esto, sine qua res, nec esse potest, nec concipi.

9. *Accurata finitio, qua perfectam rei ideam continet, principium seu propositio indemonstrabilis habeatur.* Nempe rerum existentiae causa est, tum prima Deus, tum secunda agens finitum. Essentiae vero non item, quia nulla causa nullaque ratio assignari potest, exempli gratia, cur homo sit animal rationale, & triangulum figura habens tres angulos pares duobus rectis. Idem esto ceterarum idealium, judicium.

Regulæ Demonstrationum.

Prima. *Omnis accurata Demonstratio ex præmissis necessariis, & indemonstrabilibus, & ex legitima trium terminorum dispositione, efflorescat.* **Secunda.** *Sunto igitur accuratae Demonstrationis præmissæ, vel suitiones nominum jam exactæ ad unam ideam significandam addictorum: vel rerum exactæ finitio[n]es: vel axiomatica per se evidenter veritatis, & concessa: vel propositiones, quarum veritas prius demonstrata fuerit, & per demonstrationem in clara luce evidentia posita.*

Regulæ Methodi.

Quandoquidem Methodus mentis humanae processus ad scientiam est, ex principiis, finitionibus, & causis, ad conclusiones, finita, & effecta, unde conflantur Demonstrationes. Ubi principiorum, finitionum & Demonstrationum regulas & fines, intra quas mens processura se contineat, posuimus. Age & Regulas integræ Methodi accuratae, & nunc figamus.

Prima. *Judiciorum & ratiociniorum confusionem, mens omnem sedulè vitet.*

Secunda. *Simul confusionem, simul errorē mens, ut vitet: ordinem rerum naturalem in formandis judiciis & ratiocinis suis, summa cum cautione sequatur.* Nempe mentis judicantis & ratiocinantis veritas posita omnino est in exacta idealium, quibus inforinatur, cum rebus ipsis conformitate.

Tertia. *Mens simpliciora, universaliora, & causas prius iudicet, tractet & explicet, & demum ab iis explicatis, adcompositiora, minus universalia & effecta explicanda procedat.* Exempli gratia, si natura specierum prius explicaretur, quam natura generis, generis natura multoties tractaretur, quippe impossibile est speciei naturam ritè percipere, quin naturam generis in idea speciei contentam percipias. Hinc vero confusio & redundans repetitio ejusdem rei necessario oriretur.

Quarta. *Unumquodque genus, in omnes suas species, unumquodque totum in omnes suas partes, unumquodque subjectum in omnes suoi modos, necessarios & accidentarios, internos scilicet externos, unaquæque difficultas in omnes suoi casus, quantum fieri potest, & ad rem ritè intelligendam, conducit, accurate distribuatur.*

CAPUT QUARTUM.

De Methodo Analytica.

Quæ de Methodo Analytica collata cum Synthetica supra edisserimus, hanc Methodi Resolutionis finitionem abunde suppeditant. Methodus Analytica

INSTITUTIONUM

est Mensis humanae progressus, quo à notioribus nobis, compostioribus, minus universalibus effectis, ad notiora natura, simpliciora, universaliora & causas, velut ab infima valle, ad montis fastigium ascendendo, procedit.

Ratio diversi hujuscemodi mentis progressus ex fine utriusque Methodi arcessenda prorsus videtur, nempe Methodo Synthetica scientiam coagmentare in animis aliorum querimus, initium itaque judiciorum ducendum est à principiis simplicibus, & evidentissimæ veritatis, hinc ad obscuriora illustranda, & demonstranda progrediendo per descensum. Contrà Methodo Analytica scientiam nobis ipsis querimus, initium itaque judiciorum nostrorum omnino faciendum est à notioribus nobis, effectis & sensibus affinioribus, ad notiora natura, & causas à sensibus remotiores gradatim ascendendo. Per methodum ergo Analyticam quæstionis aliquis propositæ, veritatem & scientiam nobis ipsis, non aliis querimus.

Quæstiones autem quotquot dirimendas mens hominum sibi proponit, vel non min sunt, vel rerum. In quæstionibus Nominum, non utique queritur, quid significant: sed quid illis author sacer profanulve fuerit, voluerit significare, cuiusmodi sunt sacra ænigmata: ut *De comedente exxit cibus, & deforti egressa est dulcedo*, Judic. 14. 14. Apologiæ: ut *apologus arborum Spinam in Regem inungentium*, Judic. 9. 14. parœmiae: ut *Timor Domini principium sapientiae est*. Psalm. 111. 10. Facilius est camelum per foramen acus ingredi. Matth. 19. 24. Allegoriae: ut *Allegoria Saræ & Agar, conjugiorum, & demum filiorum ipsiarum*. Gal. 4. Et omnes demum locutiones figurate, cuiusmodi est vexata apud Christianos hæc Christi propositio, *hoc est corpus meum*: nempe non queritur, utrum quod Christus monstrabat, dabatque discipulis, foret corpus Christi, quis enim Christianorum uspiam dubitaverit? nempe Christus ipsa veritas, fallere & falli plane nescius, ore rotundo protulit; sed vero queritur, quomodo id quod Christus ostendit, deditque comedendum, corpus ejus fuerit.

Quæstiones rerum ad quatuor capita vulgo referuntur: nempe 1. cognitâ multorum effectuum causâ, & alia illius causæ effecta queruntur, ex gratia, cognitâ vi ignis ad liquefacienda metala & aquæ fortis, & regiæ, ad ea in vicere leparanda, queritur utrum vi ignis, & metallorum liquefactione, alteratione, & mixtione, verum aurum arte Ciniſionum & Alchymistarum produci possit. 2. Cognito effecto queritur ejus causa, ut visa Ecclipsi Lunæ, & Solis, causæ stupendorum hujusmodi effectuum investigantur; cognita Oceanii sal sedine, & constanti statis horis reciprocatione, causa sal sedinis & reciprocationis illius queritur. 3. Cognitis & seorsim perspectis omnibus partibus, queritur totum. Exempli gratia, positis certis numeris, eorum omnium, summa queritur. 4. Denique posito toto, & dempta aliqua ipsius parte, queritur quid & quantum ipsius remaneat. Exempli gratia, si ex talento aureo, hoc est, viginti millibus librarum; seu florenorum, talentum argenteum, hoc est, mille & octingentos florenos dempseris, quid, & quantum ex talento aureo remanserit? Verum enim vero postremæ duæ quæstiones, in quibus à partibus vestigando ad totum progressus fit; vel à toto, & parte ad partes superfites; ad ambas priores commodè refiri possunt, nempe à partibus cognitis, ubi mens nostra ad totum progrederit, ex causis cognitis effectum querit, contra ubi à toto cognito, & alterâ ipsius parte,

ad cognitionem partium superstitionis grassatur, ex effecto cognito, causam, vel alterum effectum querit, nempe partes ex demptione alicujus superstites.

Regulæ Quæstionum Methodo Analyticâ resolvendarum.

1. *Omnis terminorum, quibus Quæstio continetur, ambiguitas removeatur.*
2. *Primum omnium perpendatur, in quo Quæstionis difficultas hæreat, & cardo positus sit.*
3. *Quicquid est in proposita quæstione perspectum & conspicuum, serio distinguatur ab ignoto & latente, quod mentis indagine vestigandum est.*
4. *A Perspectis omnibus, quæ in quæstione proposita continentur ad ignota graffandum est, per vera judicia, quæ ex perspectis jamdudum judiciis, ratiocinando elicimus.*
5. *Simil præcipitata, simul præjudicata animi judicia, summa cum cautione videntur.*
6. *De incerto & utcumque dubio numquam mens judicium ferat: sed cunctetur & assensum, vel dissensum cohibeat, donec clare cohærentiam attributi cum subjecto pervideat.*
7. *Judicia sua convenienter naturæ & evidentiæ rerum semper ferat, à notioribus ad ignotorum, momentorum seu graduum, ex quibus rerum finitarum idea efflorescunt, ordine naturali ducente.*
8. *Id ut aequi valeat, omnia rerum momenta tum interna, tum externa sedulò recensat & distinctè enumeret, ut judicia postmodum distincta, & rerum momentis multiformibus, conformia, tuta ab errore & confusione, proferat.*

TY C MONAIDI paragmata TPIAADI d'ōētārē xágis eis tūs nīnys os tāv
mōwaw, A mō.



LOGICA MATERIALE

ရွှေမြစ်မှာ ပေါ်လေသူများ အနတ်များ ဖြစ်ပေါ်လေသူများ ပေါ်လေသူများ



